
SYLVII LANCAEANI MONTICAELIANI

Medici Physici.

DE MOLÆ GENERATIONE

& cura, de fœtus formatione, & alijs quibusdam, quæ sequens ostendet pagella.





ex Capitolo D. Jan: de Anibaly

ROMAE MDCII.

Apud Lepidum Facium, & Stephanum Paulinum,
Superiorum Permissu.

DE MOLAE GENERATIONE, ET cura in quo tractatu continetur.

De formatione faetus.

An in dysenteria sit mittendus sanguis, & pugrandum cum expositione loci Galeni primo ad Glauc. cap. 14.

Expositio Aphorismi 43. quartae sectionis.

Casus cuiusdam Illustrissimae Dominae, in quo tractatu exponitur Aphorismus 31 quintae sectionis.

An mitridatium possit causare abortum?

Expositio loci Hipp. 7. epid. in calce.

ILLVSTRISS. ET EXCELL.

PRINCIPI D.

FRANCISCO COLVMNAE

SYLVIVS LANCEANVS Monticælianus S.

MEDICINAM esse earum artium, quę multum laboris, & molestiæ exhibēt eas profitentibus, Illustriss. & Excellentissime Princeps, non solum Hippocratis testimonio libro de flatibus, verum ex se res satis clara, & manifesta existit. Cum per tot sęcula medicina extet, a tot excellentisimis ingenijs excussa, & rimata fuerit: vt aliqui eorum pro

Dijs habiti fuerint: & hucusq; multa ad eam spectantia necessaria abdita, & ignota permaneant. Sunt etiam aliqua, quæ in hac arte putãtur inuenta, rationi confisi probabili, quorum vsq; ad hæc tempora veritas nõ adeo manifesta est, quin in contrarium multa, & valida argumenta habeant. Vtinam omnia ab antiquis monumentis prodita vera, & clara essent: quiesceret enim in eis noster intellectus, at non quiescit in omnibus. Et quod hoc modo se res habeat, certũ testimonium est, & infallibile, quod ab aliquibus hominibus interdum aliqua in arte ista commentantur, quæ prorsus noua sunt. Quare infælicissimi ingenij esse existimo, semper stare inuentis: & non conari (quoties

ties intellectus in maiorum dictis non quiescit) ingenij acumine, ea excogitare, quæ aut vera, aut verisimillima sint: saltem vt ingenia excelsiora ad rei veritatem indagandam excitentur. Id mihi contigit hisce annis, vt dum hic Præneste de molę generatione, & fœtus formatione maiorum scripta relegerem, non acquiescebam eorum dictis. Quare diu mecum rem pensitaui: & tandem arrepto calamo, ea de vtrisq; est mihi visa veritas, quæ his paucis continetur cartis: deinde ea dictis maiorum comprobaui, quoniam omnia ista olfecisse videntur & post tot labores, & lucubrationes animaduerti fere eadem de formatione fœtus fuisse scripta à Ioanne Fernelio nunquam satis laudato viro.

ro. Et cum ea prælo donare decreuissem, tibi optimo, & excellentis. Principi dicaui, vt sub felicissimis nominis tui auspicijs, ipsa tuta, & quieta permaneant. Vale

DE MOLA.



E Mola, quid ea sit, & quomodo generetur, varias & diuersas video inter Medicos sentẽtias. Verum breuitati studens, & veritati innitens, ea tantum recensebo, quæ magis veritati consentanea esse vidẽtur: relictis aliorum manifeste falsis opinionibus. Et ideo cum Galeno decimo quarto Methodi, cap. 13. dicimus.

Molam esse carnem informẽ, quæ in mulierũ vtero gestatur: vel, Mola est caro quædã otiosa, atq; informis, vt 14. de vsu partium cap. 7. idẽ Galenus scriptum reliquit: vel, Mola est caro informis, inanima, vt Plinius lib. 7. cap. 14. testatur.

Neque credendum est, eã semper esse adeo informem: quin aliquando habeat aliquas quasdã rudes delineationes:

tiones: vt legitur apud Hipp. 2. epidemior. pag. in Froben. codice 413. sectione secunda, his verbis.

Antigenis vxor habitabat iuxta Nicomacum, peperit puerũ, carnosum quidem, verũ qui haberet maximas partes discretas, magnitudine vero esset quatuor digitorum, & sine ossibus, deinde crassus, ac rotundus.

Aliquoties vero omnino informis erit, vt videtur innuere idem Hippocrates 5. Epidemiorum pag. 445. parum post principium, de Gorgiæ vxoris superfœtatione loquẽs, inquit.

Quadragesima vero die à partu superfœtatio excidit caruncula quædã & venter considit, omnesq. tumores.

Et aliquando non carnem, sed aliquam aliam speciem flaccide carni similẽ præseferat: vt effic ens debilius, vel minus debile fuerit: adest nãque in hac re latitudo, vt in omnibus fere

rebus

rebus, & ideo varijs modis mola disponetur.

Iā tria lustra sunt, & amplius, quod quædam mulier castri S. Angeli Capociæ, cum in patria essem, ad me venit, cui per quinquennium (vt ipsa retulit) fuerant suppressi menses, & duritiem quamdam in fumine toto hoc tempore se habuisse, testabatur, quotidie increscentem, tetigi, & omnibus bene perspectis, molam esse iudicaui. Institutis optimis remedijs spe frustrati sumus: nihil ipsam excreuisse, audiui, forsitā quia vna mola erat, & satis magna. Mulier nō est amplius ad me reuersa, audiui postea ad annum, vel bieniū fuisse à morbi sęuitie extincta.

Anno 1594 hic Præneste, honesta quædam iuuēcula nuptui data prima Februarij, iuueni satis imbecilli, & cachetico ob febrem habitā mali moris, & ex decidētia longam, & in pluribus

delin-

delinquenti, quę febris ſæpius repete-
bat erroneo modo. Hęc in quā iuuen-
cula conquerebatur de longo, & ma-
gno fluore mēſium: & ab eo adeo de-
bilis erat reddita, vt vix ſtare poſſet,
ſubdidit duritiem quandam in ſumi-
ne ſe habere: tactoq; loco, inueni tu-
morem mediocris magnitudinis, ſatis
durū. Ex ſitu, tactu, & alijs, iudicaui,
aut eſſe molam, aut vteri ſcirrum: &
quoniam menſium fluxus aderat, po-
tius ſcirrum, quam molam putabam:
ſi non adfuiſſet menſtruorū fluor, mo
lā vtiq; iudicaſſem proculdubio. Cum
in his perplexus eſſem, ceſſarunt mē-
ſes, & per nares ſanguis in magna co-
pia emanauit ad vices. His ita ſtanti-
bus per aliquot dies, nocte fere media
acceſſit ad me obſtetrix, gerens quin
que fruſta molæ, aut velimus dicere
quinque molas, ponderis ferè in totū
quindecim vnciarū: non dura, vt Pli-

nius.

nius, & Aristoteles referunt, tria erãt ſpongioſa, alba, ſpumea, alia duo eiuſdem materiæ, ſed habebant partẽ dimidiã, quæ hepar colore & conſiſtentia præſeferebat: & hæc duo vnũ fuiſſe dixit, ſed ab ea diuiſum in duo, ligno quodam tenui difficulter.

Remanſit etiam mola aliqua, duri ties namque eodem loco aderat; licet pauca, quæ, menſtruis multis diebus fluentibus, remota fuit omnino: & ita à mola libera euaſit naturæ opera, nihil arte coadiuuãte; quamuis poſtea mẽſtruis ſuppreſſis, rupta fuit in pulmone vena, & à ſanguinis copia ſuffocata; erat enim valde debilis redacta.

Hæc iuuencula lac in mammis habebat, vt legitimum fœtum geſtantes & menſtruas purgationes ſingulis mẽſibus habuit, præter primum mẽſem; & tandem prima Maij acceſſit menſium fluor, & in initio mẽſis Iulij molas

las eiecit eodem anno.

Idem pæne accidit alteri iuuenculæ, & in fine tertij vel quarti mensis quinq; itidem frusta eiusdẽ consimilis materiæ proiecit; & per multos dies eisdem mensibus fluentibus, liberata fuit. Sanguis interim aliquando per nares stillauit; aderat lac in mammis, & omnia alia signa vtero gerẽtis legitimum fœtum excepto motu.

Causæ.

CAusas ponit Hipp. 1. de morbis muliebribus parum post mediũ pag. 336. & lib. de sterilibus mul. um post medium pag. 394. eisdem verbis vtens, scilicet.

Molæ porro conceptus causa hæc est. Quum multi menses modicum, & morbosum semen conceperint, neque fœtus rectus fit, & venter plenus est velut prægnantis.

Ex his

Ex his clarum videtur (inquit Altomarus) multos menses esse causam materialem molæ, cũ modico, & morboso semine commistos. semini inquã maris, & non fęminæ, nam si de fęmineo semine intellexisset, frustra modicũ, & morbosum adiecisset, cũ quantuluncumq. & qualecumq. tale esset semen frigidus, & humidus existens, atq. imperfectius viri semine molę cõceptus sequeretur. Addit neq. fœtus rectus fit, quasi imperfectus conceptus sit in mola ex paucitate, & vitio seminis ortus, namque ex eius mediocri multitudine, ac salubritate fœtus rectus generatur, si cum moderatis mensibus fuerit commixtum.

Idque Aristotelis verbis 4. de generat. animal. cap. 7. confirmat; quãuis non ita clare Arist. suam sententiã probet, quin aliter intelligi possit. Neq. vt Altomarus intelligit verba

Hipp. intelligenda esse arbitramur, et quæ de semine semine dicit, nõ videntur semper vera, vt infra ex eod. Gal. & experientia iudicare est clarissime.

Cæterum ne semper stemus aliorũ inuentis, & cum alijs eandem cantilenam concinamus, (quod miserrimi ingenij esse existimamus) & vt etiam alij speculandi ansam præbeamus, salua semper veritate dicerem.

Vt Molæ vera causa, & verus modus generationis pateat; videndũ est, quomodo verus, & legitimus conceptus fiat. rectum enim est iudex sui, & obliqui; cum hoc nouerimus (quod difficillimũ est) facile irriti conceptus causas intelligemus, Idq; hoc ordine inuestigandum esse arbitramur. Nã si in vtero bene disposito ambo semina fecunda maris, & feminæ in veneris cõgressu, aut eodem tempore, aut paulo prius, aut paulo post, alterũ al-

tero proiecta fuerint (semen namque maris nō proijcitur in vteri cauitatē, sed vterus ipsum semen ore suo tamquam manu arripit ad se, vt Gal. clare 1. de semine cap. 4. his verbis testatur, cū de ventriculo locutus esset.

Pari modo (inquit) vterus, quum qualitatem seminis affectat, totus obuiam sese offert, atque accurrit ad cūnum; suoq. collo, ac gula tamquam manu vtitur, qua semen intro compellat. Hæc Galen.

Quamuis aliquando etiam in matricis cauitatem eiaculetur; quando scilicet vteri os penis glandē accipit, & surgere videtur, & vt cucurbita medica trahit; idq. experientia. Et per verba Gal. 1. de semine cap. 2. in fine patet.

Ita sane, inquit, videtur, quemadmodū Plato dixit, vuluæ, & qui vteri appellātur quoddam quasi procreationis

tionis appetens animal esse, atque idcirco ad se attrahere semen, illudque complecti, ac continere. Id quod viris etiam ipsis non raro contingit euidenter percipere, cum cucurbitulæ medicæ instar attrahere intra membrum suum illas sentiunt.

In hoc casu seminis eiaculationes fiunt in vteri cauitaté. & quoties etiá seminis eiaculationes sunt fortes, & validæ, vteri os patet veneris dulcedine, & vteri collum est bene tensum.

Primum simul miscentur hæc semina, & amicitia quadam iunguntur vt vnum fiat, & vis vna, & natura eadem, & in vnum motum conspirent. vt Hippocr. primo de dieta post medium, pagina 13 1. declarare videtur; cum dicit.

Quum vero ambæ in idem coinciderint, mutuo inter se incurrũt, & obuoiuuntur, ignis ad ignem, & aqua similiter

militer. siquidem igitur in sicco loco circumuoluitur ignis, collapsũ aquã superat. & ab hoc ignis augescit, ne ab illabente vnda extinguatur, aliumque accedentem suscipiat, ac sibi consociet.

Eadem pagina paulo infra, inquit. Si autem quis non credat animam animæ ammisceri, demens est.

Et lib. de gen. pueri pa. 41. dicit. Simulq. permiscentur, tũ quæ a viro, tũ quæ à muliere emissa est. Et libro de genit. pueri pag. 43. in primis verbis ait; Primum quidem simul miscetur, vtpote muliere non quiescente, coaceruaturq; ac crassa per calorẽ euadit

Et Galenus 14. de vsu partium capite 7. de fœminę semine loquens.

Ipsumque oportet (ait) cum semine maris misceri, ac tum demum velut vnum postea agere. Quod si id nõ oporteat, quid impediet, quo minus

fæmina solo semine in se ipsam emisso, ita demum fœtũ absoluat? Atqui hoc accidere non videmus; Constat ergo quod omnino semen maris flagitat. Quod si ita est, misceatur cum eo est necesse, atque ita vtrumque semen in vnum motum conspirent, fieri enim non posset, vt si vtrumque motu inter se discrepante mouerentur, in vnius animalis procreationem conspirarent. Hæc Galenus.

Et ita semen, intra vterũ remanet, vt Hippo. libro de natura pueri pag. 43. Si genitura ab vtrisque permanserit in vtero mulieris, & alibi. Et Galenus sæpius testantur.

Et os vteri primo clauditur vt Hippocrates libro de genitura circa medium pagina 41. enarrat.

Si vero (scribit) cõceptura est, non procedit foras, sed manet in vtero genitura: nã vteri susceptã, & cõclusam

in se

in ſeſe continent,oſculo nimirum ip ſorum præ humiditate contracto, ac concluſo,ſimulque permiſcentur, tũ quæ a viro venit, tum quæ a muliere emiſſa eſt.

Et quinto Aphor. 51. his verbis.

Quæcumque vterum geſtant, his oſculũ vterorũ clauſum eſt. Et alibi.

Et ab vtero calefacta genitura, et naturali eius vi,& facultate, tãquam ab incubante gallina ouis,ſpiritũ cõcipit, & ſeminis latens vis excitatur,& in actũ reducitur vis illa generatrix; vt Hipp. libro de natura pueri in principio pag. 43. teſtat. Deinde ſpiritum concipit,nempe in calido exiſtens,& poſtea matre ſpirante; de qua vi generatrice ambigit Gal. lib. de formatione fętus cap. 6. Quare quid ſit iſta vis generatrix dici nõ poteſt. ſatis eſt quod aut ſpritus eſt,aut potẽtia in ſeminibus inſita, poſtea excitata, quæ

ſpiritibus,& calore, tanquam inſtrumentis vtitur. Vis iſta generatrix in pauco temporis interuallo genitură varie diſtrahit,eiuſq; partes ſegregat, atque ſecernit,(nō enim eſt omni ex parte vnũ, & ſibi ſimile, teſte Gal. 2. de ſemin. cap. 5.)partes aliquę magis glutinoſæ,& viſcoſę circumcirca pelluntur, quæ totam materiam obuallant, & genitura pellicula quadă circundatur; vt Hipp.lib .de natura pueri parum poſt principium pag. 44. his verbis profert.

Calida autem eſt,vt pote in calido exiſtens, & tunc ſane ſpiritum habet. ac emittit;atq. ipſa genitura inflata , pelliculam acquirit.Circumtenditur enim, quod forinſecus circum ipſam eſt,continuũ]. euadit,vtpote viſcoſũ exiſtens,quemadmodũ in pane dum torretur,tenue quiddă pelliculæ ſpetie in ſuperficiem abſcedit, ac extat.

Lib. de carnibus parum post principium pag. 56. Neq. enim multum frigiditatis ipsis inerat. Verũ venę frigiditatis multum habebant, atq. eius frigidi quantum circum circa glutinosissimum erat a calido exasslatum membra euasit.

Infra eadem pag. Vbi enim plus glutinosi quem pinguis erat, mēbrana tunica facta est.

Et Gal. 1. de semine cap. 6. inquit. Quãtacũq. igitur seminis pars vulvam attingit, ea statim membrana efficitur.

Hoc fit à vi illa, & ab vteri calore. Et hæc membrana Chorion dicitur; & primo generatur loco. & si Gal. credimus 1. de sem. c. 7. fit a semine fæmine, quod non videtur rationi consentanenm ex dictis. & dicendis.

Fiunt eorundem actione duę aliæ membranæ, altera alãtois idest intesti

nalis

nalis dicta, quam itidem a solo semine mulieris procreari, dicit Gal. 2. de semine cap. 1. 4. 5. & 7. & lib. 14. de vsu partium cap. 11. Addit Gal. 1. de semine cap. 10. quod hæc intestinalis membrana fit eodem tempore cum chorio; quod an verũ sit, cogitãdũ est. Hipp. lib. de nat. puer. parũ post principiũ pag. 44. de chorio locutus, dicit, eã fieri post chorion. ita loquens.

Quum autem tempus accesserit, rursus aliæ pelliculæ intra primã pelliculam tenues, & multę circumtenduntur, eodem modo quo prima pellicula facta fuit.

Et hoc magis rationabile est.

Quod fiat ex solo semine fęmineo, videtur difficile; cum ambo semina simul misceãtur, & vnum fiant; neque ante seminum mistionẽ, credendum est, ipsam fieri cum intra chorion maneat. Eadem ratio de chorio militat.

Quæ membrana alantois fętus vrinā recipit, per vracum, vt Gal. lib. 15. de vsu partiū cap. 4. & 5. dicit, qui a fundo veſſicæ pueri oriens, per vmbilicum inter alia vasa exiens, in hanc inseritur membranam.

Altera, quæ tantum fœtum ambit, amnion vocatur, quę fętus velut sudorem continet (vt aiunt omnes a Gal. sumētes lib. 15. de vsu partiū cap. 4.)

Cæterum esse poteſt, vt sudor non sit, sed quemadmodum intra pericardium natura prouida posuit humiditatem ratione motus, & caloris cordis ita ponat, & seruet intra amnion illam humiditatem, ut fætus facilius moueatur, & magis lubricus sit in exeundo, & partus facilius fiat. Difficilis nāq. fit partus, quoties illæ humiditates ante pueri exortum effluunt, ut Hipp. animaduertit lib. de exect. fęt. pag. 73. & Gal. lib. 15. de usu part. c. 5.

Et hæ omnes mẽbranæ simul mul tis locis, & nexibus mutuis coalescũt; ut Hipp. lib. de nat. puer. parum post principiũ pag. 44 testatur his uerbis.

Sunt autem & hæ ab umbilico extẽtę, & inter se mutua ligamẽta habẽt. Et Gal. lib. 15. de usupartiũ cap. 5. dicens. Sed id maxime admirabile est; quod non solum sibiipse mutuo incũbũt, sed multis quidẽ locis coalescũt, multis etiã a se se inuicẽ per tenuia fibrarũ fila ab una ad alterã peruadẽtia pendeant; quas natura, quoad eius facere potuit, unire uoluit, ut quod roboris cuiq. priuatim a se ipsa deerat, id omne a se se mutuo adipiscerẽtur.

Et hæ omnes simul secundas appellant obstetrices, utentes nomine Hipp. lib. de natura pueri parum post principium pag. 45. licet Gal. lib. 15. de usu partiũ cap. 4. nomine secundę solum chorion intelligere uideatur.

Interim uis ista generatrix aliquo tẽporis interuallo cũcta cõformat mẽbra, rudi quodã modo, & adũbratione quadã, ut obtutu distingui nõ possint. Quot autẽ diebus hoc fiat, difficile est scire, ne dicã impossibile. Tamẽ hoc conatur docere Hip. l. de na. pu. multũ lõge a principio p. 46. cũ dicit. Atq. hæc mihi de hoc dicta sunt, & factus iã est puer, & ad hoc peruenit fæmella quidẽ in 42. diebus ut longissime primã coagmẽtationẽ & coarticulationẽ accipiẽs; masculus uero ut lõgissime in 30. diebus vt plurimũ enim hoc tẽpore, aut paulo breuiore, aut paulo lõgiore articulatio ipsa cõtingit.

Eodẽ lib. paulo infra pag. 47. Hęc propterea produxi, ut ostenderem, quod in pueris membrorũ discretio longissima contingit in fæmella 42. diebus, in masculo in triginta.

Lib. de septimestri partu parũ ante fi-

te finem pagina 63. de quadragesimo numero loquens.

Et masculorũ quidẽ partes omnes conspicuæ fiũt, fæmellæ uero in hoc tempus, carnes apparent exortus ac processus solum habentes. Similia enim longius tempus in simili sunt, & tardius discernuntur propter consuetudinem,& amicitiam.

Lib. de alimen. uersus finẽ pa. 163.

Ad figurationes soles 35. ad motus 70. ad perfectionẽ 210. Alij tradunt; Ad formam 45. ad Motum 76. ad exitum, 210. Alij sic, ad formam 50. ad primum saltum 100. ad perfectionẽ, 300. Alij sic, ad discriminationẽ, quadraginta, ad transitum octuaginta. ad elapsum ducenti & quadraginta. Non est, & est. Gignuntur autem in his & plures,& pauciores, secundum totum,& secundũ partes. Non multo autem plures aut pauciores, pau-

ciores verò tot, & quæcunq; alia his similia. Lib. de dieta primo post medium pagina 130.

Non autem in æquali tẽporis spatio omnes fætos exornantur, sed alij citius, alij tardius; pro vt singuli ignẽ & alimentum fuerint nacti.

Libro de carnibus apud finẽ pag. 60. Porrò vita hominis septem dierũ est. Primũ etenim postquam genitura in vtero peruenit, in septem diebus habet, quæcunque corpus habere debet.

Hac locorum dissentione, & a Gal. lib. de formatione fœtus cap. 1. cõstat varijs temporibus conformari fœtus vt fortior, vel debilior genitura fuerit. Esse etiam potest, (vt credo) quod ante trigesimũ, & fortasse ante septimũ diẽ non solum mares, sed etiã fœminæ conformentur; sed sensu visu id assequi non posse; quoniam membra

bra satis parua sunt, & quia ante trigesimum sensu visus, non distinguuntur membra; ita fortasse putarunt, fœtus non esse formatos ante hoc tēpus, in quo sensu visus possunt discerni mēbra. Id testatur illa genitura sex dierum lib. de natura pueri parum post principium pag. 44.

Preterea credendū est, citius conformari fœtus septimo mense nascituros, postea qui octauo, deinde qui nono, postea qui decimo, tandē qui vndecimo. Hoc rationabile est, quod fœtus, qui paucioribus mensibus nascuntur, breuiori etiam tempore conformentur. Et factus est puer, neque hucusque sanguis menstruus ingressus est genituram, ex semine nutritā, tamquam magis familiare alimentū, quam sanguis menstruus. vt Gal. 14. de vsu part. cap. 11. affirmat, dum de semine maris agit. cum inquit.

Atque initio statim ex fęminæ semine nutritur, tamquam id natura familiare magis sit, quá sanguis, & omne quod nutritur, à similibus augeri facilius possit.

Et primo de semine capite 7.

Virilique (scilicet semini) esset (scilicet fœmineum semen) alimentum; tenuius enim ipso cum sit. & frigidius accommodatum ad alimentum pręstandum, quam quippiam aliud est.

Idem libro secundo de semine cap. 1. 4. & alibi dicit.

Ex his clare habetur ex Galeni sẽtentia, genituram prius semine, quam sanguine nutriri.

Puto equidem in genitura adesse omnia, quæ requiruntur ad fœtus formationem: non deest materia, non agens, non forma, non alimentum per aliquod tempus, neque aliquid alıud, quod debet adesse.

Hoc

Hoc idem videtur velle Hipp. lib. de nat. puer. circa mediũ pag. 49. qui volens docere, quomodo generetur puer (non vndequaque exemplũ cõuenit, quoniam ſemen plãtæ requirit humidum à terra, at genitura hoc habet in ſe, neque ab vtero id requirit) inquit ergo Hippocr.

Etenim ſemen vbi proiectum fuerit in terram, humiditate quadam ab ipſa impletur: Habet enim in ſe terra amnigenum humorem, vt naſcentia nutrire poſſit, impletum autem humore ſemen, inflatur, & intumeſcit, & vis quæ in ſemine leuiſſima eſt, ab humore condenſari cogitur, conden ſata autẽ à ſpiritu, vis, & humore folia producente, ſemen rumpit, & primũ folia foras emergunt: vbi vero emerſerint, cum non amplius ab humore in ſemine ẽxiſtente, folia nutriri poſſint, rumpitur inferne ſemen, itemq.

folia

folia, & semen à folijs coactum, vim suam ad inferna demittit, quæ videlicet in ipso restat propter grauitatem, & fiunt radices ex folijs distentæ.

Et multa narrat: & in eodem exem plo permanens, pagina 52. dicit.

Quod si quis considerare velit, ea quæ de his dicta sunt, ab initio vsq. in finem, inueniet naturam omnem con similem esse, & ex terra nascentium, & hominum.

Eodem vtitur exemplo Galen. 1. de semine cap. 9. & idem dicit.

Ex dictis patet, mulierem in vtero concipere, quando vterus est vacuus & mundus à mensibus; quia per aliquot dies nõ eget menstruo sanguine genitura, usquequo sit formatus fœtus, & ultra; quoniam aliquo tẽpore nutritur alimẽto in genitura cõtento.

Quod uteris uacuis à mensibus fiat conceptus, uidetur uelle Hipp. lib. de

natu-

natura pueri parum post principium pag. 45. his uerbis.

Vbi autem turbatus est sanguis; & uenas impleuit, ab ipso descēdit, qualis ab initio naturæ fuit. Quare si quidem euacuatur à sanguine mulier, in uentre concipit; si uero repleta fuerit non. Nā uacuis uteris, & uenis à sanguine factis, mulieres in se fętus concipiunt. Etenim post mēstrui sanguinis purgationem mulieres in ventre concipiunt. Libro etiam de octimestri partu pag. 65. inquiens.

Plurimis enim mulieribus necessariũ est, in ventre concipere post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fuerint.

Libro de superfętatione parũ ante mediũm pag. 69. vbi applicitis pluribus medicamentis, vt mulier concipiat, hæc præcipit.

Post mensium apparitionē, vbi sic-

ea fuerit, cum viro commisceatur.

Libro de nat. puer. versus finē pag. 53. cum de mensibus retentis fecisset mentionem.

Deinde aliquando menses sua spōte erumpunt, aut alijs superuenientibus à corpore in vteros, & priores protrudentibus, & flatus egreditur, & multis iam statim post mensium purgationem vteri hiant, & ad pudendū vertuntur, & tunc viris permissæ, ad se genituram concipiunt eadem diē, aut omnino in paucis.

Primo de morb. muliebr. multum post principium pag. 319. dat hederę grana, aut folia ad conceptum, cessantibus mensibus, & eadem pagina infra dicit.

Hæc autem cessantibus mensibus facere oportet. Sed & hoc sic habet. Quum purgatæ fuerint mulieres, maxime in ventre concipiunt, cum viro

consuetudinem habentes, & genitura ipsis corroboratur, si quando oportet coiuerint, & semen viri facile admiscetur, & si preualuerit, illi accommodatur, ao appropiatur. Tūc enim maxime os vterorū hiat, & distentū est post purgationes, & venæ genituram attrahant.

Quamuis apud ipsum etiam aliter scriptum reperiatur, & fere contrariū vt eod. 1. de morb. muliebr. pag. 316. & 319. lib. de superfęt. pag. 70. & alibi.

Et hæc est communis opinio, quod aut in principio menstruæ purgationis, aut in fine, sed adhuc fluentibus fiat conceptus. Putantes fętus formani non posse, absq. mēstruo sanguine, tamquam materia, & semine fęminæ. vt Arist. 4. de generat. animal. c. 5. & 7. de histor. animal. cap. 2. & 1. de generat. animal. c. 19. & alibi affirmat.

Et Gal. lib. de dissect. vuluæ c. 10.

can-

eandem habet opinionem, licet ob diuersas causas.

Sed ad nostra redeuntes. Si verum est, vt Gal: & tota schola Medicorũ pro vero habet, quod partes carniformes oriantur ex sanguine, spermaticæ vero ex semine. Quomodo nostra opinio vera est & quod partes carniformes oriantur ex sanguine, ipsarum color ostendit, quia est rubeus similis sanguini.

Atqui nos pro vero habemus, partes omnes fætus ex semine oriri, & primum alimentum sumere: hocq; non probabilibus rationibus, sed experiẽtia clarissima facile comprobatur, cui nõ est repugnandũ. Omnia enim, quę ex ouo generantur, id ostendũt vbi non adest sanguis, neq; partes aliũde continere potest, & tamen tam spermaticę quam carniformę generãtur, nutriuntur, & augẽtur. Oua nil aliud

desiderant quam externum calorem, vt Arist. 3. de generatione animaliũ cap. 2. dicit: reliqua omnia in se habẽt.

Et mures & reliqua omnia animalia sanguinea, quæ ex putri materia generantur, quod semen quem ve sanguinem habent in generatione? & tamen vtrasq; partes habent.

Maius aliud dicit Gal. 2. de semine cap. 16. in fine: Quod partes ex quibus generantur, ex eisdem semper nutriuntur. Idq; videtur probare quia partes ex sanguine genitæ deperditæ regenerantur, partes vero spermaticæ, semel si deperditæ non regenerantur, his verbis.

Sed rursus ad propositum nostra redeat oratio, & dicat: Omnibus solidis animalis mẽbris, & semine quẽadmodum carneis omnibus e sanguine tam generationem, quam nutritionem esse. Vnumquodq; enim ea

substantia, qua primum genitum est ali etiam perpetuo conuenit, quippe cum nutritio nihil aliud sit, quam cõtinuæ fluentis substantiæ redintegratio. Quæ igitur ex sanguine a princi pio constiterunt, adhuc vsq; renasci, ac gigni possunt; non possunt ea, quibus semen ganerationem præbuit, nisi alicubi vena aliqua, atque ea qui dem perraro.

Genita ergo ex putri materia, ex putredine perpetuo nutriuntur. At fortasse de his tantum intelligit animantibus, quæ ex semine ortum habent. Quod etiã videtur difficile: non enim adest tãta copia seminis, vt possint illæ partes formari, nutriri, & augeri, dum in vtero est animal, & eo minus post partum. Vnde semen influit vt nutriantur, & augeantur? an a testibus? quod non est credibile. nõ pos sunt testes tantam seminis copiã con

ficere, vt possint omnes spermaticæ partes nutriri. Et ante decimũ quartum annum in quo tẽpore pueri carent semine, ex quo nutriuntur partes illæ?

Nisi velimus dicere, quod vnaquaque pars trahit ad se ex massa sanguinea alimentũ suæ naturę congruum & conueniens, & antequã ex eo nutriatur, præparat illud semini proportionatum, & postea sibi adsimilat, & reparat deperditum, tanquam ex semine: quod non placet. Et quoties superat illud alimentum semini proportionatum, vocatur recrementum vtile, quod est semen secundũ Arist. 1. de generatione animalium cap. 18. & alibi. Et ita intelligat Gal. licet non sit vere semen. Verum nanq; semen fit, quando illud vtile excrementum attrahitur a testibus, quorum actione concurrentibus spiritibus, recipit for-

mam

mam feminis. Cœterū ſi hoc verum eſt (vt credimus) cum partes etiam carniformes ex ſemine formentur ſine ſanguine (vt clare probauimus) neceſſe eſt,vt alimento eodem modo diſpoſito nutriantur:ſtante Gal. ſententia vera:quod vnunquodq.ea ſubſtantia, qua primum genitum eſt, ali etiam perpetuo conueniat.

Atqui Gal. 2. de naturalibus facultatibus cap. 3. contrarium affirmare videtur, contra Eraſiſtratum egens: quod ſcilicet omnes partes ſpermaticæ ex ſanguine habeant originem. illis verbis.

Si quidem os,cartilago. arteria,vena,neruus adeps,glandulæ,membrana,medulla, exanguia quidem ſunt, ex ſanguine tamen facta.

Sed dicere poſſumus,aut quia hoc dicit Gal. vt aduerſarium redarguat, aut quia facta ſunt ex ſanguine,quo-

niam ex ſanguine factum eſt ſemen: quod non videtur conuenire, ſi verba Gal. immediate ſuperiora recte perpendantur, cum dicit.

Natura nullius materiæ veterem formam ſeruat, quippe ita ſanguis eſſent cunctæ animalis particulæ, is ſcilicet, qui à matre confluit ad maris ſemen. Et ita Gal. vult, omnia membra a ſanguine matris eſſe facta.

Quarè partes carniformes corruptę regenerentur, ſolidæ vero minime, declarat Gal. 1. de ſemine cap. 13. quia illis materiæ generationis copia ſuppetit, iſtis abundantis materiæ inopia exiſtit: & alia, quæ narrat. At hoc ex ipſius verbis cap. 11. eiuſdem libri videtur, ſtare non poſſe, cum inquit.

Cur igitur hoc accidit? an quia carnis materia nunc etiam ſubeſt, illorũ non amplius? Sed quid non ne vel arteriæ tunica, vel nerui corpus gubernantem

nantem facultatem habent, quæ talẽ ſubſtantiam procreet, qualem vtrũq; horũ adepta ſunt? nempe, ſi quicquã aliud, hoc etiam peculiare habet natura, vt ſibi ſimilia procreet; nam qua alia ratione fieret vt corpus aleretur, niſi quædã huiuſcemodi facultas ipſi perpetuo adeſſet? perpetuo ſiquidem e ſubſtãtia vniuſcuiusq; aliquid effluit ac digeritur. Vnde alimento opus eſt atq; id, quod per alimentum additur, ſimile eſſe omnino debet ei, quod digeſtum eſt.

Meo iudicio, hæc obiectio militat: videmus in oſſium fracturis eſſeferruminationẽ validam, quæ omnino fit a materia copioſa, quæ regenerare poſſet aliquam oſſis partem, cum adſit etiã natura, præſertim in pueris, quorum oſſa adhuc creſcunt, & tamen licet minima oſſis pars corrumpatur, non amplius renaſcitur, ut videre eſt

in

in vlceribus in omni ætate:fiunt omnino cicatrices cauæ,quia non regeneratur illa pars ofsis deperdita.& ita Hippocr. 6. aphor. 45. inquit,& recte

Vlcera quæcunq.annua fiunt,aut diutiore tempore durant, necesse est os abscedere,& cicatrices cauas fieri.

Et lib.de vlcerib.parum post principium pag. 659. idem habet.

At si vtræq. partes (ex nostra opinione)ex semine habent ortum,inuenienda est causa, quare aliquæ regenerentur deperditæ, alique vero minime:quod esse credimus difficillimũ. Sed vt aliquid pro nunc dicamus; aliam causam huc vsque meditari nõ potuimus, quam partium duritiem: quæ duræ sunt,vt solidæ,nunquã,aut raro regenerantur, quæ vero molles sunt, vt carniformes regenerantur, semper, & facile.

Si placet ratio,admittatur,sin autẽ

aliam

aliam inuenias. Video multa in contrarium, tamen facile diluuntur, & prostrantur.

Nihil ergo repugnat, quin omnes fœtus partes ex semiue fiant, tã spermaticæ, quam carniformes vocatæ. Imo hoc idem Galenus confirmare videtur 14. de vsu part. cap. 3. de vteri collo loquens, cum dicit.

Nã si præ mollitie in se ipsum concidens, plexus quosdam ac flexus efficeret, ab ijs semẽ prohiberetur, quo minus ad sinus matricum celeriter perueniret, atque in eo humor ac spiritus à se se separarentur: cum tamen coire ipsa sit necesse, hũc quidem, vt motus principium, illum autẽ vt materia, ad fætuũ generationem appositã. Non enim sanguis menstruus prima ac propria est gignendi animalis materia, quemadmodum alibi demonstrauimus.

Idem

Idem etiam confirmat clarissime eodem lib. cap. 11. vbi de vsu seminis fęminæ ex professo loquitur, cũ ait. Ipsum enim amplius coquitur (de viri semine loquens) atq; initio statim ex fæmine semine nutritur, tanquam id natura familiare magis sit, quam sanguis.

Et 1. de semine cap. 7. lib. 2. cap. 1. & cap. 4. & alibi, quando dicit, quod semẽ maris nutritur semine fæminæ. Vt enim puerulis nuper natis non est conueniens alimẽtum panis & caro, & alia multa, ita neque nuper formato fœtui sanguis est conueniens nutrimentum (vt sæpe Galenus declarat) sed semen, vtque ex eo genitus sit. Cũ ergo fętus primo nutriatur semine ex semine igitur genitæ sunt omnes partes ex Galeni sententia.

Quamuis (vt credimus) veritas sit, quod semen potentius est vt agẽs debilius

bilius vero vt materia. Illi est ex potentiori semine consurgit vis illa conformatrix, & ex eodem & reliquo semine, tum suo tum debiliore conformat fœtum, ipsumq. nutrit per aliquod tẽpus: vt supra in plantarum seminũ diximus analogia. Quamuis nõ semper totum semen maris sit potentius toto semine fœminæ, vt neq. totum semen fœminæ est totum potentius semine maris, sed ab aliqua parte fortius, ab aliqua debilius tam maris quam fœminæ secernitur, vt partes fortiores, vel debiliores fuerint: & quod magis prȩualuerit, in mistione id est agens. & si ambo semina fortia fuerint, ex amborum mistione, quoniam ex ambobus vnum fit.

Est etiam semen fœminæ fȩcundũ, vt semen maris, vt Hipp. lib. de genit. pag. 41. & Galen. 2. de sem. cap. 1. & 5. testatur, & sensus iudicat. Est enim ali

quan-

quando copiosum, crassum, & bene e‑laboratum, vt Galen. scribit 2. de sem. cap. 1. & 6. de locis affectis cap. 5. quã‑uis alibi contrarium dicere videatur. Potest etiam fœmine semen esse po‑tentius semine viri, vt vere est interdũ & multoties, aut totum toto, aut pars parte, vt Arist. etiam 4. de gener. animal. cap. 3. affirmat. Quamquam Hip pocr. lib. de genit. pag. 42. dicat, esse impossibile, vt fœtus in totum alicui ex parentibus assimiletur. Et hinc fit, vt nati aliquando in totum alicui ex parentibus assimilentur. aliquãdo ve‑ro membrum aliquod patri, aliquod vero matri, vt Galen. 2. de sem. cap. 5. & Hipp. lib. de genit. pag. 42. docent.

Neq. id mirum, cum semen ex omnibus corporis partibus secernatur, vt Hipp. lib. de aere aquis & locis, multũ post medium pag. 112. posteritati re‑liquit. de Macrocephalis locutus, ait.

Quum

Quum enim semē genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiatq. vt ex caluis calui gignātur, ex cæsijs cæsij, & vt plurimum distortus distortum generet, eademque ratio sit, circa reliquas formas: quid prohiberet, vt non ex Macrocephalis macrocephali gignerentur?

Libro de genitura parum ante finem pag. 42.

Et ex quacunq. corporis viri parte plus prodierit in geniturам, quam mulieris, partus ille magis similis erit patri. Vndecunque vero à corpori mulieris plus venerit, magis assimilabitur matri.

Libro de morbo sacro multum ante medium pgina 174.

Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum, à morbidis morbosum.

Libro

Libro quarto de morbis in principio pagina 228.

Ad hominis generationem de omnibus & viri & mulieris partibus semē progressum, & in vterum muliebrem illapsum condensatur.

Et non sine ratione, cum Galenus 1. de sem. cap. 16. dicat, uim à testibus in omne corpus diffundi, quæ in maribus robusti, ac masculi habitus, in fœminis ipsius fœminæ naturę in causa est & quod testes trahant seminariũ humorem à vasorum anfractibus, ante ipsos præparatum. Quare non possumus dicere nos testes trahere ab omnibus corporis partibus vltimum recrementum vtile, quod fit semen, per eadem vasa, eo modo quo Galen. docet 1. de semine eodem cap. 16.

Qua in occasione (inquit) testes ex superioribus venis, quicquid humoris serosi continetur id omne attrahunt

est

est autem paucus admodũ hic, & mistione sanguinis irroratus, quo videlicet etiam ipsas indigere ad alimentũ, demonstratum est. Hæ quidem venę, cum à testibus, qui vehementiorẽ ipsis vim habent, eo violenter priuentur, à à superioribus etiam alijs ipsæ, rursus superiores illæ ab alijs, hæ à vicinis subinde ttahunt, atque ita deinceps fit, vsque dum in omnem corporis partẽ trahendi hæc vicissitudo diffusa omnibus animalis membris proprium alimentum eripiat.

Et idem Galenus secundo de naturalibus facultatibus capite septimo de nutritione docet.

Præterea quomodo potest membrum aliquod patri, aliquod vero matri assimilari nisi ab illis met membris semen secernatur? non ne ex mancis manca fiunt hac de causa? nisi alteru semen compenset alterius defectum?

Videmus magnetem ferrum trahere, ſuccinum paleas, lienem melancolicum humorem, veſiculam fellis bilem, rhenes ſeroſum ſanguinis humorem, & caput pituitam ab vniuerſo corpore: quãuis poſtea ſemen perfectionem, & extremam manum recipiat in teſtibus ipſorum actione, & extremam manũ recipiat in teſtibus ipſorum actione, & ſpirituum commiſtione. Eſſe etiam poteſt, vt à vehemẽti comprehenſione fœminæ fiat ſimilitudo, ſed raro, vt credo.

Satis digreſſi ſumus. Poſtquam ergo formatus eſt fętus, & deficit ſibi nutrimentum, quod à genitura trahebat aut paulo prius (natura tanquã prouida) ſpiritus impetu rumpit in medio genituram, & exerit illa quinque vaſa quæ vmbilicum formant: ſunt nanq. duæ venæ, totidem arteriæ, & vracus, qui in alantoidem membranam terminari

minari diximus. Alia quatuor vasa per membranam corion disperguntur, & ramificantur, & in vteri venarum, & arteriarum orificijs inseruntur, velut arborum radices in terram, vt fœtus alimentum & spiritus trahat, vt viuere nutriri, & augeri possit.

Has venas & arterias ab vteri vasis oriri, inquit Gal. lib. de format. fœt. c. 2. & 3. & 15. de vsu part. cap. 4.

Secundo capite de formatione fętus hæc habet. Quarum origo est ex arterijs, & venis vuluæ, capita in interiores eius loculos patefacta habentibus; quibus solis fœtus cum fętificante coniungitur.

Capite tertio id etiam inuit illis verbis. Non enim prius consistens iecur vena hæc intrat; sed e contrario prorsus hæc omnia fieri, censendum est. primo scilicet venam vmbilici, vbi intro penetrauerit, non secus ac trun-

cum arboris bifidam euadere.

Decimoquinto de vsu part. cap 4. d cit. Exiguum sane est vasorũ quodque, cum primum à matrice exoritur, cuiusmodi sunt arborum radices extremæ, in terram defixæ: ea vero paululum progressa, per coniugationem coalescunt, ex duobusque vnum procreatur: rursusq. illorum singula cum singulis eiusdem generis coalescũt, fitque id perpetuo, quoad parua omnia in duo magna coeant, quæ, velut stipites quidam, fœtui per locum vmbilici inseruntur.

At hæc vasa à genitura oriri, consentaneum est, vt diximus quoniam quemadmodum semina plantarũ radices ex se in terram faciunt, non terra in semina, ita par est, in hominis generatione fieri.

Secundo radices omnes quo magis ab origine recedunt, eo magis ramificant-

ificantur, vt in plantis omnibus perpicitur. at contrarium fieret ex Galeni ſententia.

Tertio ſpiritus, in genitura excitatus, rumpit in medio genituram, non aliam ob cauſam, putãdum eſt, quam ut vaſa illa per corion diſpergat, ramificet, & in vteri venarum, & arteriarũ oris inſerat vt etiam Galenus (fortitan ſui immemor) affirmat ſexto de Placitis Hippocratis & Platonis cap. 6. dum contra Eraſiſtratum de venarum generatione ageret, hæc inquit.

Omnes enim venæ, quæ ſunt in inuolucro conceptus exteriore, quod chorion nominant quæ fœtũ vtero coniungunt ſunt maximæ illius à iecore exeũtis progerminationes. vide multa Primo de ſemi. c. 9. clarius, cũ dicit.

Quod enim plãtis in inferiore parte ſub terra radicatio eſt, id eſt in fœtu arteriarum, & uenarum chorij vuluę inheren-

herentia; qualis desuper truncus plantis, tales in fœtibus trium principiorum progerminationes.

Quemadmodum item plantæ duplicem exortum à seminibus emittũt, sursum truncum & ramos ad minutissimas vsq; ad pullulationes producũt, deorsum radicationem in multas partes diffindũt, ita quoq; in fœtibus multiplici scissione dispertitæ arteriæ, & venæ in totum corpus, vt truncus, in vulvam, vt radices, desinunt.

Si hæc vera sunt, vt verissima credimus: sequitur omnino, vt fœtus ante sextum, & septimum diem formentur: quoniam sexta die istæc omnia vasa in genitura psaltriæ illius (vt Hipp. refert, & Galen. interpretatur) in chorio conspiciebantur. Ergo prius formata sunt illa membra, vnde oriuntur, vt est hepar, cor, & uessica: & ita inferre possumus totum fœtum esse formatum.

ut supra enarrauimus.

Et hęc uasa inseruntur in pluribus uteri uasorum oris, non autē in omnibus, ut Gal. docet 14. de usu partium ca. 4. & uidetur innuere 5. apho. commento 60. Quoniam si in omnibus uteri uasorum orificijs insererentur, nō posset fieri superfætatio, neq; mola, neq; alij irriti conceptus in prægnantibus & si fierent non persisterent: non enim haberent unde nutritentur, cum omnia orificia uasorum uteri essent a fętu occupata, a uasibus, scilicet umbilicalibus.

Præterea neq; menses possent fluere in grauidis, atqui fluunt aliquoties, teste Arist. 7. de historia animaliū cap. 2. & 1. de generatione animalium cap. 19. & lib. 4. cap. 5. nō enim a collo matricis sēper fluere existimamus, ut Gal. placet, 5 apho. 60. sed a concauitate matricis, ex sententia Hip. illo apho.

& primo de morbis mulierib⁹ multum ante medium pa 320. & 221 & 4 de morbis popularibus parum ante medium pag. 437. & etiam experientia patet.

Ad nostra redeūtes, si geniture uis ualida fuerit, & ab utero modo conueniente foueatur; utiq; mas generatur; si uero aliquid deest, ut mas nō possit gigni, fit fœmina, quę iure hac de causa ab Arist. 4. de generatione animalium cap. 3. pro monstro habetur. Si ad huc imperfectior fuerit genitura, quid aliud fiet, quam illa animalia, ut ranę, accipiter, aquila, bubo lacertę, & alia huiusmodi? Et si rudior, ineptior, & impotentior fuerit, & calor multum deficiat, fiet mola; nam perfectiorem formam ex illa genitura natura efficere non ualet. Inquinatur nanq; materia ut Aristo. declarat 4. methеororum cap. 2. & 3.

Quod

Quod autem mola ita generetur, innuere videtur Hipp. 2. de morb. mulieb. post medium pag. 374. cũ inquit. Si mola ipsa innascatur à crassa genitura intus retenta.

Ergo dicere possumus, à semine imbecilli, crasso, vel tenui, pauco vel multo frigido, in quo non adest tanta vis, & tantus calor, vt sufficiant, aliquod perfectius gignere. fit ergo illa indigesta moles, vt Arist. 4. de gener. animal. cap. 7. declarat his verbis.

Afficitur enim conceptus eodem modo, quo ea, quæ inquinari diximus, cum elixantur, nec per calorẽ, vt quidam voluat, sed potius propter caloris debilitatem. Natura enim de vita certare videtur, nec posse perfuere, fineq. apponere generationi. Quamobrem aut tota vita, aut lõgo tempore durat, quod inchoatum est. nec enim vt perfectam, nec vt alienam omnino habet

natu-

naturam, causa nanque duritię cruditas est. quippe cum inquinatio cruditas quædam sit. Et paulo infra.

Cum igitur ex humore concoctu difficili conceptus consistat, tunc gignitur, quod mola vacatur.

Ex his omnibus patere arbitror, feminis imbecillitatem molam causare. patet etiam lib. de sterilib. versus finē pag. 394. & 1. de mor. muliebr. p. 336.

Quum multi menses modicum, & morbosum semen conceperint.

Quamuis multi mēses prima, & effetrix causa nō sint, sed (si licet dicere) tamquam posterius accedentes coadiuuant, non autem generāt. Et quod multi menses non sit causa molæ, sed causa sit genituræ impotentia, in qua (vt diximus) adest causa cū materialis tum efficiens, & formalis. & ita confirmari potest clarissime: quoniam etiam grauidis molæ innascuntur, vt

Ari-

Aristoteles eodem loco testatur, Accidit (inquit) hoc vitiũ mulieribus nõnullis grauidis quanquã raro.

Et Hippo. 5. epidem. fere in principio pagina 445. de Goigiæ vxore loquens, hæc prodidit.

Quadragesima vero die à prima superfœtatio excidit, carũcula quędam, & venter consedit, omnesq; tumores.

Anno 1600. Mense Septembris, honesta mulier Laurentia, vxor Bartholomæi de Gnaco hic Preneste, peperit filiam nono mense, & non poterat reddere secundas, exhibitis quibusdam, ipsas reddidit, & simul cũ ipsis proiecit duas molas magnitudine duorum ouorũ anserũ (vt retulit mihi obstetrix) Hęc mulier toto pręgnationis tẽpore ęger rime transijt, febri, destillatione, tussi, inappetẽtia, sũma corporis emaciatione, & pallore cõflictata est, & post partũ per aliquot mẽses.

Et

Et tunc (vt credimus) non fluunt multi menses ad vteri cauitatem, sed putandum est, quam paucos elabi:cũ plurimæ venarum, & arteriarum oræ à pueri vasibus occupatæ sint, & obstructæ,& fætus continue sanguinem absumat menstruum,quamuis ex puriori parte nutriatur.

Fiunt etiam prægnantibus alij irriti conceptus (vt supra diximus)qui quidem vt mola ex seminũ vitio, non autem ex menstruorũ copia generatur.

Ex his irritis cõceptibus qui in prægnantibus fiunt,constat, mulierẽ vtero gerentẽ in veneris congressu proijcere semen in vteri cauitatem : & etiã ex superfętatione clarius imo clarissime:quia neque superfętatio veri fętus neq. isti irriti conceptus fiunt sine cõmixtione seminum maris,& fœminæ.

Quod superfętatio fiat,apud neminem in dubio esse credo. patet namq.

ex supradictis patet etiã ex Arist. 7. de histor. animal. cap 4. & 4. de generat. animal. cap. 5. Ex Hipp. lib. de superfæt. 1. de dieta pag. 13 2 quarto de morbis popularibus pagina 434.

Et anno 1596. die 20. Maij Præneste quæ iuuenis ætatis circa viginti annos, calidi, & humidi temperamenti pleni habitus peperit filiã nono menſe vitalem, & viuit adhuc die vero 19. Iulij proximi ſequẽtis abortiuit, & peperit aliam filiam mortuam, & ab obſtetrice fuit iudicatum, eam eſſe ſeptimi, vel octaui menſis.

Ex dictis etiam infertur, molam nõ ſolum à maris ſemine, ſed etiam à fæminæ prædominante fieri poſſe.

Poteſt etiam eſſe, vt ſemina optima ſint, tamen vterus ſit frigidius, ipſumque non poſſe illa ſemina adeo fouere, vt homo generetur: ſed in aliquo caloris gradu fouebit: & vt varij gra-

dus

dus sunt, ita varij fiunt irriti cōceptus & ita uterus etiam potest esse causa molæ, & non semina tantum.

Fieri etiam potest, ut semen, quod fæminam generaret, adiutum ab uteri calore, gignat marē, & contra. ut Gal. 14. de usu part. ca. 7. scribit, his uerbis. Siquidem fieri aliquando potest, ut etiam si initium à fæmina sit profectū semē, quod alioqui fæminam erat generaturum à dextra matrice calfactū, fœtum efficiat masculū. Contra quod masculum erat generaturū, à sinistra refrigeratum, in contrarium trasmutetur. quādoquidem si semen sit paulo frigidius, matrix uero plurimum sit calida nihil miri est, ab ea, quod spermati deest, adijci. hæc Galen.

Et hæc de fœtus formatione, & molæ, & aliorum irrituum conceptuum generatione dicta sint satis.

Si mola sit, vt diximus, quod verissi-

mum esse credimus. possumus eam sic describere.

Mola est caro, aut materia quædã, vt plurimum informis, in matricis cõcauitate, ex seminum, aut vteri vitio genita, quæ viuit tantum vita plantæ.

Galenus nullibi, quod meminerim de molæ causa scripsit, nisi casu quodã 14. de vsu part. cap. 7. refellens illam opinionem, quæ asserebat, molam redere ouo subnentaneo; idest. Quemadmodum gallina gignit oua subuentanea ex se sine semine maris, ita mulier molam generet, sine semine viri. contra hoc talia dicit.

Si igitur, eo vsque volunt, semẽ fæminæ progredi. primum quidẽ quod parũ artificiosam actionem ei tribuũt (quæ vtiq. vel soli menstro fortasse adfuerit) nemo est, qui ignoret. secundo autem, quod mentiuntur, in eorũ, quę fiunt historia. Non enim sicut gallinæ sine

ſine maribus oua pariunt, ita mulierẽ aliquãdo viderunt, ſine viro uel molã, uel eiuſmodi quippiã aliud cõcepiſſe.
Sententia Galeni eſſe uidetur, quod menſtrua ſint molæ cauſa, atqui non adeo firma, quia dicit fortaſſe.
Ex his Galeni uerbis conſtat, molã non poſſe gigni ſine ſeminibus maris & fæminæ, ut etiã a nobis ſupra enarratis. Videtur Galenus potius fauere noſtræ opinioni, quam contradicere.
Eſt mola morbus in compoſitione, & ſpeciatim in numero addito, qui toto genere eſt præter naturam, ut lapis in veſſica, mirmecia, & hypochima ſecundum Gal. ſententiã 14. meth. c. 13.
Locus affectus vterus eſt, conſtat ex diffinitione loco tumoris, tactu, mẽſium ſuppreſſione, aut nimia effuſione, & ab exitu, quoties enim mola eijcitur, per vuluam præcipitatur à natura, vel ab arte.
Signa

Signa.

Retractio partiũ ſuperiacentium, præſertim hyppocondriorum.

Corporis emaciatio.

Lumborum grauedo.

Appetitus proſtratio.

Stomachi ſubuerſio.

Coloris faciei mutatio.

Mammarum turgentia ſine lacte.

Os vteri clauditur.

Vẽter inordinate ſenſim attollitur.

Prouoluitur mola, in quodcunque latus mulier decumbat.

Motus non adeſt, licet aliquando tremulus adeſſe videatur.

Dolor punctorius.

Mulier in ingreſſu grauior euadit, eiq. quaſi pondut propendet ex utero.

Tumor durus in ſumine regione uteri.

Hæc ſunt ſigna à compluribus po-

ſita. Hipp. uero lib. 1 de morb. mulieb. parum poſt med. pag. 336. & lib. de ſteril. pag. 394. ſupra allegatis, hæc ſigna tantum poſuit, dicens.

Iudicare uero oportet ex plenitudinis molæ, & quod in uentre nõ moue tur; nam mas trimeſtris, fęmina uero quatrimeſtris motum habet. Poſtquam igitur tempore hoc prętergreſſo, non mouetur, hic morbus eſt. Eſt autem hoc magnum ſignum, quod lac in mammis non generatur.

Duo prima ſigna vera ſunt, tertium autem nõ ita verum eſt. Vidi ego mulieres omnia ſigna legitimi fœtus habentes (vt ſupra retuli) vt hæc, & alia, & tamen mola pepererunt: tẽpus motus adhuc non peruenerat. Ego pro certo teneo, quod nõ ſint alia ſigna vera, quam hæc ſcilicet, Quod adſit moles, & durities in regione vteri, & ſuis temporibus non moueatur.

Quod

Quod mola præuoluatur in quodcunque latus mulier decūbat, fortasse non est verum: non enim potest prouolui citius, aut tardius quā legitimus conceptus, quoniam mola non aliter alligatur vtero, quam legitimus fętus, neque legitimus fœtus aliter, quā mola. & ita vt mola in latus prouoluitur, ita & legitimus conceptus, vt experientia patet.

Ex duritie distinguitur ab hydrope, quoniam hydropis durities est, tāquam vtris aqua, vel vento pleni, molæ vero est, velut in vnum coacta, & dura velut lignum, aut lapis: quamuis ego tetigerim molam, non adeo duram, sed mediocris duritiei.

A scirro differt, quia venter in mola sensim attollitur, non ita in scirro & in scirro magis emaciatur corpus, & decor corporis amittitur magis.

Pronoſticum.

MOrbus eſt longus, dubius, cum aliquãdo interficiat, interdum ſoluatur, quãdoque per plures annos, interdum per totam vitam eduret, vt Hippocrates locis immediate ſupra citatis his teſtatur verbis.

Hæc igitur ad duos annos, ſæpe etiam tres. ſic habet, & ſiquidẽ vna caro fiat, mulier perit: neque enim fieri poteſt, vt ſuperſtis maneat: ſi vero plures, erumpit ipſi per pudendũ ſanguis multus ac carnoſus; & ſi hoc moderate fiat, ſeruatur: ſin minus, à fluxione correpta perit. Et paulo infra.

Hanc igitur maxime quidẽ ne curato; aut certe cum prædictione. Ariſtot. etiã loco ſupracitato ſcilicet 4. de gener. anim. cap. 7. Accidit (dicit) hoc vitium mulieribus nonnullis grauidis quamquam raro, pariunt enim, quod mo-

molam vocant. Iam accidit etiam mulieri cuidam, vt cum concubiſſet, & ſe concepiſſe putaſſet, primum ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent, ſed cum tempus pariendi iam eſſet, nec pareret, neq. moles minueretur, ſed annis tres aut quatuor ita perſeueraret, quoad dyſenteriæ, id eſt difficultati inteſtinorum implicata, eoque modo periclitata, demũ peperit carnem, quam molam vocant. Quin, & tota vita edurat hoc vitium; vt & conſeneſcat, & commoriatur.

Et paulo infra reddens rationem, quare tamdiu mola perduret, ſubdit. Natura enim de vita certare videtur, nec poſſe perficere, finemque apponere generationi. Quamobrem aut tota vita, aut longo tempore durat, quod inchoatum eſt.

Victus ratio.

DEcumbat mulier in domuncula anguſtiori, inquit quidam ex Paulo, quoniam motus omnē fluxionem excitat. Mihi vero magis placeret, vt exerceretur, & præſertim partibus inferioribus, vt menſium excretio excitetur; in qua ab Hippocrate ſeparatur ſalus.

Aer ſit in actiuis temperatus, aut ad calidum vergat, in paſſiuis ſiccus ſit.

Somnus ſit moderatus, nocturnus, & ſecundum conſuetudinem.

Aluus quotidie vacuetur, ſi non ſponte, arte.

Vitam ducat hilarem, alij animi affectus vitandi ſunt.

Cibus ſit optimi ſucci. moderatæ quantitatis, poteſtate extenuans.

Potus ſit vinum optimum, odorum, album, tenue, modico cinamomi de-

co-

cocto, aut cappilliueneris, aut alterius rei conuenientis extenuationi, & prouocationi mensium, dilutum.

Cura.

CVm morbus dubius sit, sũmo studio cura agredienda est, & cum prædictione, vt Hipp. locis immediatę supracitatis animaduertit; Et quoniam vt plurimum in hoc casu praui redunt humores, vt corporis color ostendere solet, statim medicamento leui aluum ducere oportet hunc vel illum humorem ducendo, prout opus fuerit.

Postea si forte corpus fuerit valde repletum: aliquo non obstante, statim vena interna dextri brachij tundenda est: sanguine ducto in quantitate conuenienti, pro vt casus, & alia exigunt. Si vero corpus non adeo repletũ fuerit, omissa sãguinis missione, extenua-

tioni humorum,& reſerationi viarum incumbēdum eſt, ſerapijs, apozematibus; aut alijs. His per aliquot dies exhibitis, in occaſione purgādi ſunt humores valido medicamēto (quoniam Ariſtot. inquit, quod mulierilla, dysēteria implicata, molam peperit) admiſcendo etiam cum eo aliqua, quæ menſes ducere valeant, hæc autem complurima ſunt.

Tandem ad molæ propriam curationem deueniendum eſt, quę fit balneis, fotibus, inuntionibus, emplaſtris, cataplaſmatibus, medicamētis per os ſumptis, ſāguinis miſſione, chliſterijs, peſſis, metrenchitis, ſuffitibus, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, & alijs quibuſdam ingenijs, vt infra ponetus, quæ omnia fere ab Hippocrate lib. de ſteril lib. & 1. de morbis muliebr. locis ſupra citatis optime docentur. cum verba hæc ſunt.

Hanc

Hanc igitur maxime ne curato, aut certe cum prædictione, & primũ quidem totum corpus foueto: deinde per sedem chlysterem adhibeto, quo sanguis multus erumpat, fortassis enim quod compactum est commoueris, id quod fœtus esse putatur, muliere à pharmaco cõcalefacta. Sed vteros colluito quo sanguinem educas: sin minus sub dititijs vtatur fortissimis, è bupresti; & dictamnum creticũ in vino bibat: sin minus castoris testem, & retro cucurbitam ipsi ad laterum mollitudinẽ affigito, & plurimum sanguinem detrahito, atque hoc maxime rerum, ac virium coniectura facta, facito.

Fotum totius corporis, balneum dulcium aquarum esse, putamus: hoc innuere videtur Hipp. pluribus in locis, vt 1. de morb. muliebrib. multum post medium pag. 343. de secunda loquens, ait, ter.

Casto-

Castoris aut sagapeni &c. & calida prabe lauato. infra.

Et de herinaceis &c. potea vero similiter calida lauato. infra.

Dictamni fasciculum &c. & multa calida lauato.

Lib. 2. parum post med. pag. 368. loquens de vteri cõuersione ad crura.

Quum sic habuerit, multa calida frequenter lauare oportet. infra.

Quum sic habuerit &c. & calida lauet, ac frequenter insideat toto corpore. quandoq. etiam vsque ad vmbilicum fomentum adhibeto.

Eodem 1. de mor. muliebr. parum post medium pag. 335.

Quicunque abortus &c. vbi multa calida prælaueris.

Et 2. de morb. muliebr. multũ post principium pag. 362.

Primum quidem multa calida lauetur, capite excepto, & multis etiam

in

in locis idem dicit.

Idem videtur velle Gal. lib. de curãdi ratione per sanguinis missionem capit. 18. qui volens exhibere menses cientia, præcipit danda esse post balneum, adhuc linteo inuolutis mulieribus.

Potest etiam vniuersum corpus foueri decocto rerum relaxantiũ, vt decocto camomillæ, maluæ, anethi, altheæ, meliloti, acanti, seminis lini, feni greci, & reliquorum huius generis simplicium.

Si vero nolumus totum corpus balneo committere, possumus lombos, & sumen diu fouere lana sucida insuccata hidreleo, simplici, aut in quo illa simplicia relaxantia sint decocta. aut ab vmbilico infra sedeat mulier in prędicto decocto. vt Hippoc. 1. de morb. mulier. loco supra citato pag. 335. docet his verbis.

Opor-

Oportet autem vſque ad inguina, & ſedem, & pudendum fouere, & inſidere. Et lib. 2. pag. 368. Quandoque etiam vſque ad vmbilicum fomentum adhibeto.

Poſt ea pinguibus loca eadem inungere, vt oleo violarum albarum, camomillæ, liliorum, iridis, narciſi, ſampſuci, additis butiro, pinguedine gallinæ, anatis, aut inungere oleo communi, in quo incocta ſint artemiſia, ſabina, malua, aut alia huius generis. poteſt etiam inſuccari his lana ſucida, & eam locis iſtis ſuperponere. poſſumus etiam ſuperponere cataplaſmata huiuſmodi.

R. farinę ſemin. lini, aut alterius huius generis lib. 1.

Olei communis, aut aliorum dictorum vnc. ij.

Butyri, aut alicuius pinguedinis vnc. j. decoctionis aliquarum herbarum ſu-

pra dictarum, q.s.m. fiat cataplasma & vtatur vt supra.

Adest paratū emplastrū diachylon paruū, dialthea, de mucillaginibus, & alia, quę liquari possunt vno vel altero prædictorum oleorum, & linire loca.

Vel potest ex eisdem oleis, pinguedinibus succis herbarum conuenientium, & cera fieri vngentum, vt

R. olei amigd. d.
Liliorum alb.) an. vnc. j.
Succi artemisiæ
Camomillæ) an. vnc. ÷
Butiri recentis drag. iij.
Ceræ q. s. m. vng. & vtatur vt supra.

De his, quæ per os sumuntur.

His peractis, ad ea deueniendum est, quæ per os sumuntur: ea autem esse debent aperientia, secūdam, abor-

abortum, aut menses prouocantia. Et primam de secundam prouocantibus verba faciemus.

De secundas prouocantibus.

POtiones multas secundas prouocantes ab Hippocrate pluribus in locis cōscriptas habemus. vt lib. de superfęt. de natur. mul. & lib. de morb. muliebr. quæ loca vnusquisque legere potest. Ego ex his seligam aliqua quę paratu facilia sunt.

Et 1. lib. de superfęt. in fine pag. 72. inquit Hippocr.

Elaterij oboli attici pondus in vini albi cyathi mensura tritum bibendum præbe, & purgabitur.

Libro de natura muliebri parum ante medium pag. 293.

Violæ albæ semen quantum tribus digi-

digitis apprehēdi poteſt, in vino albo pari aqua ammixta bidendum dato.

Leuco j nigri radicem in vino eodem modo ſumat.

Pagina 294.

Dictamni cretici obolum in aqua bibendum dato. & ſi hoc in potu dato, ſecundā expellere non potes, ſambuci ſucco cocto immiſſo foueto, & cantaridem apponito.

Aliud quod fœtuum mortuum, & ſecundas eijcit. Violę, & portulacę ſemen contundito, ac miſceto, & in vino albo veteri exhibeto.

Pag. 296. Aliud quod ſecundas expellit. Ricini radicem bibēdam dato.

Primo de morb. mul. pag. 327. parū ante med. Allia coacta, aut aſſata in vino & oleo, cum polipis aut ſepiolis ſuper prunis toſtis, quicquid tandem ex his voluerit.

Caſtoreum vero aut nardum bibat

Bi-

Bibat etiam rutam in vino nigro dulci ieiuna, aut ſine vino.

Omnium vero optimum noui arte miſſam herbam,& dictamnũ,& violæ albæ florem. Pag. 342. multũ poſt medium. Senectæ anguium obolum in vino terito,& bibendum dato.

Pagina 343. Viticis ſemen,& ſeſelis pari portione ſimul cum myrrha terito,& cum aqua bibenda dato.

Alias ſecundas expellentia. Viticis albæ recentis acetabulum in vino albo odorato tritum bidendum dato. de his hactenus.

Potiones, quæ mortuum fœtuum expellunt.

De potionibus mortuum fœtum expellentibus pluribus in locis Hipp. agit:& 1. lib. de exect. fęt. de natur. mulbr. lib. de morb. muliebr. & alibi.

libi. vnusquisq. illa perspicere potest, ego pauca ex his decerpam.

Lib. de exect. fœt. pag. 73. licet de viuo fœtu videatur loqui. hæc ponit.

Et si dictamnum creticum habueris, ipsum bibendum dabis: sin minus fibri testem in vinum chium derades.

Primo de morb. muliebr. multum post medium pag. 341. Cucurbitam syluestrem tritam cum melle delingat aut apponat.

Pag. 342. In potu vero dato viticis folia in vino. Aut porri succũ, & myrrham & vinum dulce simul exhibeto. Aut portulacæ semen terito, & in vino albo veteri dato.

Pag. 334 Helsinem in vino tritam bibẽdam dato. Aliud eiectoriũ, quod puerum liuidum expellit. Veratri nigri radices tenues tritas, quantum tribus digitis apprehendere potes, & myrrham magnitudine fabæ in vino

dulci bibenda prebe.

De potionibus menſes prouocantibus.

DE potionibus menſes prouocãtibus plurima & ſparſim ab Hippocrate conſcripta reperiuntur: vt libro de ſuperfęt. de nat. muliebr. lib. de morb. muliebr.

Lib. de ſuperfęt. pag. 71. Bibat porri ſuccum, ac vinũ dulce album. Bibatq. apij ſemen, & thuris nucleos quinq. & cuminum æthiopicum in uino albo meraco dulci.

Lib. de nat. mulieb. apud finẽ pag. 308. Pæoniæ grana nigra, aut rubra tria aut quatuor in vino trita bibenda dato.

Lauri baccas ad ſummum viginti, & ſeſeli dimidum acetabulum, cum vino trita bibat.

Aliud

Aliud tauri fel tritum dimidiorum obolorum atticorum pondere in vino ieiunæ bibendum dato. Et efformata ex ipso catapotia deuoranda dato.

Et pag. 340. 1. de morb. mul. multũ post medium. Viticis semen, & dictãnum creticum vtrumq. pari potione, in vino albo, aut aqua bibẽdum dato.

Et cum eadem fere sint cũ his, quæ fœtum & secundas promouent, hæc dicta sufficiant.

Sed parem potionem huic, reperiri non posse, existimo. & est Aetij, Castorei, pulegij an. ʒ. j. m. cap. cum mellicrato.

Trochisci de myrrha ʒ. j. cum aqua artemisiæ, aut sabinæ, aut mellicrato; aut cum decocto horum simplicium, aut similium m. & capiat.

De chlyſtere.

CHlyſter ex acrium, & menſes ducẽtium decocto fieri debet, vt ſabinæ, pulegij, origani, matricariæ, nepitæ, artemiſiæ, mercurialis, camomillæ, centaurij minoris, lauri collocyntidis, & aliorum huiuſmodi; cum oleo de iride, rutaceo, de cheiri, camemelino; aut alijs huiuſmodi, cum nitro; aut cum ſale gemmæ; aut commune. Poſſunt etiam addi purgantia valida, vt trochiſci alandaal. hiera cõpoſita. benedicta laxatiua; aut alia huiuſmodi generis.

Calida eſſe debent, vt mulier caleſcat, agitetur corpus & ſanguis multus erumpat, vt inquit Hipp. Menſes ciẽtia, vt adiuuent ipſorum proruptionem exempli gratia.

℞. Benedictæ laxatiuæ
Hieræ pic. compo. } an. vnc. ÷

Tro-

Trochisci andaal ʒ j.
Olej irini) an. vnc. ij.
rutacei)
Salis gemmæ ʒ. j.

Decoctionis herbarum dictarum omnium, aut aliquarum q. ſ. m. fiat chlyſter.

De ſanguine mittendo.

ALiquo ex his pharmacis, vel huiuſmodi per os exhibito, & chlyſtere iniecto, & reddito: ad alia deueniendum eſt, & præſertim ad ſanguinis miſſionem ex tali vena interna, & nõ ſolum ex altero tantum crure, ſed ex ambobus vno & eodem tempore mittẽdus eſt ſanguis: reſpectu virium morbi, habitus, temperamenti, & aliorum habito.

Poteſt etiam prius ab vno; poſtea a talo alterius cruris ſanguis mitti.

Poſſunt etiam ſacrificari malleoli v-

nius cruris,& postero die idem facere in altero crure. Et hoc mihi magis placere, quam secare venam, quoniá ratione doloris forsitan magis irritabuntur menses.

Et ante & post sanguinis missioné faciendæ sunt frictiones coxis & cruribus: ipsisq. interiori parte affigendæ sunt cucurbitule sine scarificatione,& pubi,& popliti. ligaturisq. dolorosis supra tales,& genua vtemur. Postea deueniendum ad suffumigia, metrenchitas, & pessa.

De suffumigijs.

SVffumigiorum duplex est genus, siccũ & humidum; ambo ex eisdem rebus fieri possunt, quæ fœtum; aut secundam, aut menses ducere possunt: vt sunt sabina, pulegium, origanum, artemisia, matricaria, acorũ iua artetica, iris, cinnamomũ, costus, nux

miristica, cariophillus, myrrha, styrax lauri bachę, castoreum, leucoium, betonica, dictamnum, galbanũ, sagapenum, melissa, calamentum, trochisci de gallia muschata, ambra, muscus, zibetum, belgioinum, & alia huius generis. quorum aliqua incoqui possunt in vino aut aqua, & aliqua postea in ipsa proijcere; & mulier recipiat vapores in vuluam, olla sellæ supposita, cui mulier insideat, vestimẽtis vndiq. circumtecta; vel pro fistulam in vuluam immissam, vel decoctũ in vas aliquod fundere, & testas ignitas, aut lapides in ipsum proiectam. vt vaporem eodem modo recipiat fœmina.

Suffitibus vtitur Hippocr. humidis multis in locis; vt lib. de locis in hominę apud finem pag. 103. Secundo de morb. mulieb. pag. 360 362. 363. 367 381. lib. de steril. lib. 389. & alibi.

De siccis fomentis multoties scri-

b.1.lib. de superfœtat. pag. 70.72.
Libro de natura mulibbri pa. 298.
Secūdo de morbis mulieribus 369.
Quinto aphorismor. aphorism. 28.
His locis Hippocr. vtitur ambobus suffituum generibus, & docet etiam modum agendi; nos ex his locis aliqua ponemus.
Lib. de natura muliebri circa medium pag. 298. habet. Cinnamomum myrrham, cassiā, paribus singula portionibus suffito. Aliud. Crocum ammixta myrrha. & musco æquali cum croco portione suffito. Aliud. Galbanum, resinam, mannam, vnguēto rosaceo subacta, suffito. Aliud. Cinnamomum, nardum, & myrrham, vnguento rosaceo imbuta suffito. Aliud. Violæ albæ semen, cedri ramenta, & galbanā melle subacta suffito. Aliud. Stercoris caprilli pilulas, & leporis pilos pinguedine focæ subacta suffito.

Multa vero aromata in vnguentũ inijcito.pag.299. olei heminas dimidias tres, foliorum ſambuci manus plenæ menſuram, hęc cocta in craterem calidum fundito,& per teſtas calidas immiſſas fomẽtum facito. muliere in ſella collocata, ac veſtimentis cooperta. Quamuis hic de fętu loqui videatur.

Secundo de mor. muliet. multum ante med.pag.360. Ollæ, duas ſextulas, capienti, operculum imponito, ac adaptato &c. ponit modum; & addit. Cæterum in ollam allium ſiccum inijcere oportet, idq. magis cominutum quam ea, quæ ſunt contuſa, & aquam affundere quo ipſum permadeſcat; & aqua tribus digitis ipsũ excedat; & focæ oleum ſuperfundere, atque ſic calefacere, ac fomentum adhibere per multum tempus.

Poſſumus nos ita parare humidos ſuffitus. videlicet.

R. arte-

R. artemisiæ, matricariæ, sabinę, origani, bacarum lauri an. m. 1. fiat decoct. in aqua cõmuni, in qua inijciantur myrrhæ styracis trochi. de gallia muschata cinamomi, an. scrup. 1. plus minusue & in ollam iniecta suffito, & ita multa possunt parari.

Siccos ita facere possumus videlicet.

R. galbani, cariophillorũ, styracis, nucis miristicæ an scrup. 1. trochi. de gallia muscata scrup. ÷ musci gran. ij. olei de cheiri vel mellis quod satis est, misce fiant pastilli drag. ÷ pro quolibet, inijciantur super calidos cineres, aut prunas, & suffito.

Aetius ponit hæc.

Cardamomum & caricæ, suffita
Blellium cum sabina
Thus cum styrace
Vnguis aromathicus
Ladanum

Et hæc de suffitibus satis.

De

De Metrenchytis.

Metrenchytes ex eisdẽ constant rebus, ex quibus suffumigia componi diximus. debent esse quantitate duarum heminarum ad summũ vt Hipp. 1. de morb. muliebr. versus finem pag. 344. & lib. de natura muliebri pag. 297. 298. & libro 2. de morbis mulieb. multum ante finem pag. 383. & alibi scriptum reliquit. Quãuis ego nõ excederem quantitatem octo, vel decem vnciarum ad summum liquoris, & 31 aut 31 ∴ puluerum. Inijciuntur muliere cubante supina, cruribus & natibus elatis, vt permanere per aliquod tempus possint.

Hippocr. 1. de morb. muliebr. multum ante finem pagina 343. hęc dicit.

Porro & apio succum per linteum expressum, de vtrisq. colligito, & olei rosacei heminã, & adipis anserini quadrantem

drantem adijcito,resinæq·obolos tres in oleo liquefacito:& vbi mulierem ad pedes altiorem feceris,in vteros infun dito, ac decumbens ad plurimum tẽpus contineat:deinde ad dies quatuor desidere iubeto,& egreditur puer putrefactus.

Possumus nos multa infundere, quæ ex rebus supradictis cõponi possũt,vt ℞.sabinæ,rutæ,calamenti, pulegij, dictãni,costi,an.m ÷ fiat dec. in aqua cõmuniS.A·de qua ℞.vnc.8·cui adde cinnamomi,cariophillorũ an.drag. ÷ trochi de gallia muscata grana 4. misce & calida infunde·Multa alia his similia componi possunt, pro exemplo hæc sufficiant.

De Pessis.

HIppocrates pluribus in locis de pessis loquens,docet formam, longitudinem, crassitiem, materiam, facien-

faciendi modum, horam, innendi modum, tempus moræ in matricis collo, & patientis accubitum. ut lib. 1 de nat. mul. apud fin. pag. 308. lib. de loc. in homin. apud fin. pag. 103. 1. de mor. mul. parum ante fin. pag. 347. & 349. lib. 2. multum post princip. pag. 361. & 369. lib. de steril. multũ infra med. pag. 393.

Ex his optima ingenia omnia quæ diximus percipere poterũt, quamuis contraria ad inuicem videantur. Multis etiam alijs in locis componit pessa Hippocr. ex quibus aliqua eligemus, vt de alijs fecimus,

Et 1. lib. de superf. versus fin. pag. 71.

Artemisiam herbam viridem tritã, & myrrhæ tertiam partem, ammixto vino odorato, in lana alba obuolue, eamq. vino tritam, apponendã præbe.

Florem æris, & alumen ægyptium cum cyclamino dilue, & velut priora melle cocto excipe, aut in caricã inde

cum

cum modica myrrha. Aliud, Cyclaminum tritam vino albo odorato ammixto, in linteo tenuissi no obliga, & subdendam præbe.

Pag.72. artemisiam tritã,& vino albo subactam apponendam præbe.

Libr.de nat. mul.circa med.p. 294.

Scamoniam in lacte muliebri tritã, lana exceptam appone. Mercurialis folia trita in linteo subde.

Pag.305. Conizã tritam lana exceptã, apponito. Pag.306. Nigellam in vino tritam in lana subdito. Vini albi veteris fecem combustam, & in vino albo extinctam ac tritã, in lana supposito. Pag.308. Cucumeris sylvestris internam partem pondere trium obolorũ, & artemisiam herbam, & thuris obolum terito, & ammixto melle in lana inuoluto,& ad os vteri apponito. quinquies in die hoc faciẽs. Abrotoni obolos tres cũ melle lana excipe,ac subde.

Primo

Primo de morbis muliebribus mul tum poſt medium pagina 341.

Mercurialis & cucumeris ſylueſtr. parum terito, & vino, ac melle ſubactum apponito.

Elaterij obolum, & myrrham cum melle terito, & lana excepta apponat.

Cucurbitam ſylueſtrem tritã cum melle apponat.

Ex ſambuci foliorũ decocto, prius fomentũ adhibeto, & id, quod ex cantaride fit apponito. Hoc & ea, quę debilia ſunt, ſanat. ſi vero lancinet, ac mordeat, ſtatim attollito, & lanam roſaceo tintam ſubdat.

Compoſitum ex bupreſti, & cantaridibus appoſititium Hipp. eodẽ lib. poſt med. pag. 338. ita componit.

De bupreſti caput & pedes, & alas tollito, & reliquum ipſius terito, ac ficus internam partem ammiſceto. ſit autem pinguedinis ficus portio dupla

hoc

hæc vteros inflat Hoc etiam desperatis optimũ est.& post pauca hęc ponit.

Cantaridas quinque demptis pedibus ac capitibus, & mirrham, & thus simul misceto, & mel addito. deinde in oleum rosaceum aut ægyptium tinctum per diem subdat: & vbi mordet tollat.& rursus in lac muliebre ac vnguentum ægiptium tingat,& hoc per noctem apponat,& aqua odorata perluat,& adipem subdat, & pa.342.Cucumeris syluestris succum in mazam consperſum apponat,vbi prius ad biduum ieiunauit. Hoc nullum aliud præstantius inueneris.

Colocynthidis syluestris internam partem cum lacte muliebri tritam in linteo apponat.

Et pag. 343. Galbanum oliuæ magnitudine,in oleo cedrino tritum,apponat.

Et hæc depessis sint satis. Vnusquis-

que

que ex locis citatis pene innumera eligere poteſt: & ex ſe etiam multa componere.

Addit poſtremo Hippocrat. in hac cura verba hæc. Et retro cucurbitam ipſi ad lateris mollitudinem affigito, & plurimum ſanguinem detrahito, atq. hoc maxima coniectura virium facta.

Hanc autem cucurbitularum affixionem hiſce in locis pręcipit Hippocrates, nulla alia de cauſa (vt mea fert opinio) quam vt vterus, & vteri ligamenta inaniantur, vt facile labi ſinant molam, & vt menſtrua purgatio concitetur, in qua ſperatur ſalus. Quare in laterum mollitudine hinc inde ad ſpinam cucurbitulas magnas cum ſcarificatione affigemus, pluries eas repetentes, vſque quo ſanguinis quantitas conueniens detrahatur.

Pręter hæc Hipp. lib. 2. de mor. muliebr. multum infra med. pag. 374. de

eadem cura ſcribens hæc prodidit.

Si mola ipſa innaſcatur à craſſa genitura intus retenta: Thymbram tritã in aceto & aqua, liquidam bibendam præbeto; aut hioſciami ſemen tritum, & cum muria, ac ſilphij ſucco & aceto colluito, aut ſi opus fuerit, cum aqua. optimum vero eſt, aquam mulſam infundere cum aqua lentium, aut erui, aut floris violarum. Si verò purgata fuerit à talibus, quę sũt velut igne ambuſta, myrthum coquito, ac perluito, & myrrham, ac netopum cum lana apponito.

His omnibus peractis, ſi os matricis aperiatur; obſtetrix, aut chirurgus ſiniſtram manum calidam, peruntam pingui aliquo, in vterum immittat, & molã apprehenſam placide nulla violentia adhibita, primo in obliquũ ſenſim ducat, huc & illuch trahens, poſtea paulò valentius attrahat.

Manus inungenda est butyro aut aliquo istorũ scilicet, pinguedine gallinæ, anseris, vrsi, anatis, focę, equi, oleo amigdalarũ dulcium, liliorum, ireos, camomillæ, violarum albarum, lutearum, psamsuci, abrotani, communi in quo sabina, aut artemisia, camomilla, aut aliquod conueniẽs incoctũ fuerit.

De sternutamentis.

HIppocrates in secunda relicta vtitur sternutatorijs scilicet aphorismo 49. quintæ sectionis inquiens.

Vt secundæ excidát, sternutatorio indito, nares & os apprehendito.

Idem præcipit 2. epidemior. sect. 5. pag. 420. his verbis.

Secundarum purgatio si non discedant, sternutatorium ad nares apponito, vt sternutet: & sternutantis nares ac os apprehendito.

Et 1. de morb. muliebr. multũ post

med.pag.335. loquens de fœtu, in abortu non exeunte,hæc dicit.

Cum siti sint secundum naturam, talibus sternutatoriō admoueto. Apprehendito autem nasum, & os comprimito,ac sic sternutet,quo sternutatio quam maxime efficax sit.

Sternuta excitantia sunt piper, castorium, elleborus albus, cuminum, carpesium,cariophilli,euforbiū, ptarmica odorata, & alia huiusmodi,& ita componi possunt.

R.castorij,piperis, cumini an.3. ÷ contundātur,& cribrata in pyxide reponantur. vsus tempore pyxidē concutito,& apertam naribus admoueto, aut eum digito adhibeto, aut per arūdinem insufflato, & nares,& os obturato, alioquin non adeo prodesse possunt.vt Hipp.2.de morb.muliebr.circa medium pag.768.innuere videtur, cū de vteri exitu ex sternutatione post

partum

partum loquitur, dicens.

Non enim violatur, si per vim sternutans, non apprehenderit nares.

Præcipiendum etiam est, vt mulier ab ęlato loco ad terram saltet, vt Hipp. lib. de nat. pueri in princ. pag. 44. præcepit. Musurgo famulę prægnanti sex dierum: quæ postquam septies exilisset, genitura in terram profluxit.

Vtatur concussionibus, vt Hipp. 1. de morb. muliebr. circa med. pag. 335. docet, in puero abortiuo retento, quas his verbis enarrat.

Sic autem concussionē facito. Lectum altum robustum, ac instratū sumito, & mulierem supinam reclinato: pectus vero, & axillas ac manus fascia aut molli lato loro ad lectum alligato, ac cingito, & crura incuruato, & malleolis apprehensam, detincto. Quū autem sic desposueris sarmētorum mollium fascē, aut aliquid huic simile pa-

tato, tantũ quantus sufficit, vt lectum non negligat excipiendo ipsum, dum in terram proijcitur, quo non pedibus iuxta caput terram contingat. Postea verò ipsam lectũ manibus apprehendere iubeto, & lectum ad caput sublime habere, vt decliuis sit in pedes, animaduersione habita, ne pronua sit homo ipsa: vbi vero hæc facta fuerint, & lectus sublimis fuerit, retro sarmenta apponito, maxime autem dirigito quo pedes terram non contingant, dum lectus proijcitur, & vt sint intra sarmenta. Eleuent autẽ duo viri ex vtroque pede hinc atq; illinc, quo in directus cadat, plane ac æqualiter, ac cõuulsio ne fiat. Concutiendum est autem vnà cum partus dolore. Et siquidem discedant, statim quiescendum; sin minus, interstitio rursus concutito, & in lecto gestatam attollito, ac agitato. hæc sunt quæ Hipp. narrat. Possumus

mus (& forsitã commodius, & melius) scala aliqua id apparare. & si hisce omnibus remedijs mola nõ exeat, & moles magna sit in sumine, putãdum est, molã aut vtero satis firme herere, aut esse vnicã satis magnã, quam ob eius magnitudinem vteri os non capiat, & ita mulier perit, vt inquit Hipp.

Cæterũ vt præcipit Gal. 10. metho. cap. 10. Quanto itaq. satius est, aliquid nonnulla fidutia, vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire: tanto profecto satius est, potentibus præsidijs pugnare, quam nihil agere. Et vt inquit Celsus lib. 2. cap. 10. Satius est enim anceps auxiliũ experiri, quã nullum. Et lib. 3. cap. 9. Ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuuat.

Nos horum summorum virorũ verbis confisi, & Hipp. 1. apho. 6. dicimus omnino esse veniendum ad validissimum aliquod præsidium, quod aliud

esse non potest quam sectio. Iuxta aphor. vlt. 7. sect. Quæcumque nõ sanãt medicamenta, ea ferrum sanat &c. cũ cautela, quam animaduertit Hipp. 1. de morb. muliebr. & lib. de steril. locis supra citatis.

38. Quomodo autem faciẽda sit sectio docet Hipp. lib. de exect. fęt. pag. 73. ab eo sumpta analogia. Docet etiã id lib. de superfę. & melius ad nostrũ propositum, vbi ponit vnguem parum post princ. pa. 66. & 1. de morb. mul. multũ post med. pa. 336. hisce tribus in locis hoc docet Hipp. & licet de puero loquatur, tamẽ (vt diximus) proportione quadã docet quomodo mola in frusta excidi possit, quod per vnguẽ satis cõmode fieri potest. Neque curarem vt tota mola excindatur in frustra, ne vterus vulneretur, sed satis esse, mihi videtur, si aliqua eius portio excidatur; & aliquibus in locis vulneretur, quoniam

niā natura ſua munera non oblita, aut totam ſimul, aut putrefactā paulatim præcipitabit omnino. Modum, & Hippocratis verba non ponimus, ſed lectorem ad loca prædicta remittimus breuitatis cauſa.

Poſtremo non eſt prætereundum, ſed maxime animaduertendum quod quemadmodū in prouocatione menſium opportuno tempore agendū eſt: idem putamus obſeruandū eſſe in molæ proiectione, & cura; tunc habebimus naturam adiuuantem. Quo autē tempore menſes ciētia ſint inſtituenda, & propinanda, docet Gal. pluries, & præſertim lib. de curan. rat. per ſanguin. miſſion. cap. 18. illis verbis.

Ac vbi id facere volueris, tempus conſueti mulieri circuitus tribus, quatuorue diebus anteuertas, aut vena in ciſa, aut ſcarificatis malleolis cruris vnius pauculum euacuato; deinde poſtero

ſtero die ſimiliter facito in crure altero, vt tamen etiam iſtis diebus in quibus vacuas. & ante eos quatuor, aut quinque extenuātem victum procures. Conſcriptus eſt autē à nobis ſeorſum liber de victu extenuate. Sed mulieribus ſine huiuſmodi victus ratione menſes abunde prouocant & nepita, & pulegium: exhibebis ea in mellicrato cocta, ſed ante contuſa, arida, cribroque ſubtili diſcreta, ac rurſum trita vſq. dum pollinem tenuitate referant, ita denique mellicrato inſperge.

Porro conuenientiſſimū potui tempus eſt, à balneo inuolutis adhuc linteo. Atque hæc medicamenta mitia ſunt. Valentiora ſunt ſauina, & dictānum; cæterum vſus ante dictis ſimilis. Datur autem & hoc tempore medicamentum, quod proprie amarum appellatur, centum habēs drag. aloes, mixtis aliorū medicaminum cuiuſq.

ſex.

ſex. Optimum autem vbi cinnamomum acceperit.

At 2. de compoſit.pharmacor. per loca laudat hieram, quæ habet aloes drag. 80. & croci drag. 6. præſtat autē & carpeſiū conijcere. pro aſſaro, quāquam etiam vtriſq; coniectis, aliquando compoſuerim, inquit.

Quod autem hoc tempus in molæ curatione ſit obſeruandum, clare videtur oſtendere Hipp. locis ſupracitatis, cum inquit.

Et ſiquidem vna caro fiat, mulier perit, neque enim fieri poteſt, vt ſuperſtes maneat. Si vero plures, erumpit ipſi per pudendum ſanguis, carnoſus plurimus: & ſi hoc moderate fiat, ſeruatur ſin minus, à fluxu correpta perit.

Si per menſes carnoſos moderate fluentes, curatur mola, ergo Medicus in eius curatione menſes ciere debet;

bet; ciuntur hi opportuno tempore, vt diximus.

Loca Hippocratis, de mola loquentes.

Pagina 336.374.394.413.445.

SIT DEO LAVS ET GLORIA
si qua subest.

AD MEDICVM QVENDAM.



Xcellens domine fuit quęsitũ abs te. Vtrum in dysenteria cõpetat, venam tundere, aut per aluum pharmacum purgans propinarę?

Respunsum à me fuit, vtrumq. fieri posse, secundum varios contingentes

casus, varias corporum dispositiones & alia multa.

Contra obiecisti Galeni verba vulgata, sed forte à paucis intellecta 1. ad Glauc. cap. 14 quæ talia sunt.

Sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus euacuatione, verũ hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione: quicunq. enim his plus adimere fore necessariũ putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt.

Contra respondi, Galeni verba non esse semper vera, ita absolute, & simpliciter intellecta: cum alias contrariũ affirmet, & faciendum præcipiat; ratio dictet, & Hipp. scripserit.

Tu contra pertinaciter obstabas. Quid aliud faciendũ supererat, quam Gal. & Hipp. loca cõspicere? Atqui vocatus ab Illustriss. & Excellentiss. D.

id

id efficere minime potuimus:& quum per aliquot menses, & publicis & priuatis negotijs occupatus,ad te scribere non potuerim: modo cum temporis occasio data sit hæc quam breuissima ad te scribere decreui.

Et primo vt veram Gal. verborum interpretationẽ habere possimus:sciẽdum est,alui profluuiũ, de quo loquitur Gal.non esse dysenteriam,sed alui fluxum,qui diarrhea appellatur, quæ diarrhea multum differt à dysenteria. Qui alui fluxus diarrhea vocatus,duobus modis fieri potest, pro nunc: Aut prodest,aut obest. Galeni verba non sunt intelligenda de eo fluxu alui, qui obest,quoniam præcipisset, ipsum esse statim comprimẽdum. vt Hipp.iubet 4.aphor. 2.aphor. In medicamentorũ vsu, talia è corpore ducere oportet; qualia etiam sponte prodeuntia commoda sunt; contraria autem modo

prodeuntia, sedare.

Libr. de humor. parum post princ. pag. 168. Quæ vero contraria sunt, acuertere, ipsisque aduersari.

Secundo epidem. sect. 3. Abscessus igitur horũ facere oportet, si non fiant eos vero, qui iam fiunt, declinare. Sequenti linea. Eos vero auertere, si omnino incommodi fuerint. & 6. eiusdem voluminis sect. 2. eisdem vtitur verbis Abscessus igitur.

Est etiam perpẽdenda constitutio temporis secũda 1. epid. in illis verbis. Quũ vero tempus produceretur. &c.

De eo igitur fluxu intelligit Galen. qui prodest; neq. de omni iuuanti, sed de critico tãtum; datur enim alui fluxus, qui prodest, & tamen non est criticus, vt medentibus obseruatoribus certum est. Qui fluxus criticus si in ea quantitate fuerit, vt medicus iudicet, posse esse satis ad soluendam febrem,

opus

opus naturæ est committendum; & in isto casu uera sunt verba Gal. vt lib. de his quos purgare oportet, versus fin. semet declarat his verbis.

Verum quoties natura euacuationem absoluit, nulla insuper opus est medicina.

Primo aphor. comm. 20. Vbi igitur (inquit) vel integra iudicatio facta est vel adhuc fit, totum naturæ permittere oportet. & com. 22. eiusd. sect. Sed cum perfecte ipsa mouet, nullo medicamento opus est.

Lib. de venæ sectione aduersus Erasistratum cap. 4. eundem 20. aphor. adducens, eandem habet sententiam. Istud quidem habes proprium naturę integre mouentis præceptum. Et 6. epidem. com. 2. tex. 9. Nā si humor infestans excernatur, cum moderata est euacuatio, id nihil aliud curantem admittere oportet.

Hoc

Hoc idem præcepit Hippo. 2. epid. sect. 3 loco supra citato, eos (inquiẽs) autem excipere, si prodeant iã, & qualia oportet, & qua parte oportet.

Et 6. eiusdem voluminis sect. 2. eisdem verbis. Eos &c.

Primo aph. 20. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neq. mouere oportet, neq. nouare, neq. medicamẽtis neq. alijs irritamentis, sed sinere. Lib. de humor. pa. 168. eisdẽ vtitur verbis.

Et si summi isti Medici hoc non testarentur, testatur ratio.

Quis est adeo demens, & ignauus, qui tentet aliquod circa ægrotantem, si naturam integre iudicaturam morbum speret?

Si vero Medicus iudicat, hunc alui fluxum non sufficere ad febrẽ soluendam: quia natura est segnis, & tarda, & debilis, tũc ipse Medicus debet adiuuare naturam medicamentis pur-

gantibus exhibitis, vt Hipp. 2. & 6. epi dem. locis supra citatis præcipit.

Qui vero nõ valde eos coadiuuare. Et eadem sect. 6. epid. paulo supra. Prodeuntem vero simul effundere; operari simile, velut dolor dolorẽ sedat.

Primo libro eiusdem voluminis in metone, qui vsus est capitis lotionibus, vt sãguis à naribus debiliter fluẽs, affatim flueret, & sufficeret, ad febrem soluendam, quia natura erat tarda, & segnis in euacuatione. Id etiam affirmat Galen. in cõmento illius ægroti, optime factum fuisse.

Tertio acutorum de balneo loquẽs tex. 59. docens quibus prosit, & quibus noceat balneum; inquit. neq. eos, quibus sanguis ex naribus erũpit, nisi minus quam pro occasione conuenit, fluat.

Galenus idem in comm. affirmat.

Libro de venæ sect. aduersus Erasistra-

ſtrat. loco ſupra citato ſubdit, Quod vero huic ſuccedit,naturæ, & ipſum, verum diminutæ ad iudiciũ mouenti congruit,eamque obrem illi auxilio eſſe iubẽs,dicit. Quæ ducere oportet, hæc, quo maxime natura vergit, per loca conferentia ducenda. Natura ſiquidem tunc temporis expellere conatur id,quod eam infeſtat,cum autẽ præ imbecillitate finẽ operi imponere non poſſit,noſtra auxilia implorat.

Et lib.de his quos purgare oportet, loco ſupra citato ſubdit.

Cum autem ipſam mediocriter. ac ſegnius peragit, quod deeſt, medicos ſupplere conuenit.

Primo ad Glauco.cap. 15. Nam & quæ deficiunt, adiuuabimus. & 6. epid.comm. 2.tex. 9.ſubdit. Nonnunquam eius tarditatem, defectumque incitantem.

Eſt etiam animaduertẽdum, quod

& si alui fluxus iuuet, si non leuiter ferat æger, est comprimendus. scio hoc omnibus nouum videri. sed innuit hoc Hipp. 1. aphor. 22. Quæ prodeunt, nō multitudine estimare oportet, sed quā diu prodeant qualia oportet. Et facile æger ferat.

Potest enim euacuatio adeo tota simul & confertim fieri, vt eger multis angatur modis.

Hoc idem à proportione cōfirmat Hippo 6. aph. 27. agens de cura hydropis, & empiematis: inquiens,

Quicunq; suppurati, aut hydropici secantur, aut vruntur.

Hi pure aut aqua aceruata effluente, omnino moriuntur.

Quare non est mirum, si secundo de morbis parum infra medium pagina 208. libro de internis affect. parū post principium pagina 262. & alibi, eorundem curationem docens; præ-

cipit materiam non totam ſimul, ſed per plures dies eſſe euacuandam. Ita & omnes medici: & etiam in abſceſſuum vſtione, aut ſectione faciendum imperant.

Et ſecundo apho. 51. idem Hippo. præcipere videtur: cum dicit.

Plurimum atq; repente euacuare, aut replere, aut calfacere, aut frigefacere, aut omnino quomodocũq; corpus mouere; periculoſum eſt, & omnis multitudo naturæ contraria eſt.

Quod vero paulatim fit, tutum eſt, tum alias, tum ſi ex altero, ad alterũ tranſitus fit.

Eſt etiam Gal. ſententia 12. meth. capite 7. quod ſubitus reditus ad ſanitatem cauſat dolorem. Videtur enim (inquit) corpora non ſolum, cum in habitum contra naturam confeſtim aguntur, triſtem mutationem ſentire, ſed etiam in ipſo ad naturalem ſtatum

suum reditu (nisi eum paulatim acci-
piant) cruciari. Scimus enim, qui in vehementi frigore iter fecerunt, eos cum sese non sensim, sed semel calefacere properarent, dolore circa vnguium radices adeo vehementi affectos, vt ferre non possent.

Lib. de inæquali intemperie cap. 8. Porro dolent & qui ex rigore ingenti vehementer perfrigerati, celeriter sese ex calfacere properarunt; multiq; eorum cum subito, ac simul manus igni admouerunt, ingentem circa vnguiū radicem sentiunt dolorem.

Et 1. ad Glauc. cap. 15. Et quæ immoderate feruntur, coercebimus.

Hoc idem aliquando præ manibus habuimus, & præsertim anno 1598. tres curauimus ęgros febricitātes, quibus mota est aluus crisi perfecta, quoniam febris decessit, & nō est amplius reuersa, & tamen coacti fuimus ob va-

lidissimum, & confertum alui fluxum inquietudinem, vomitum, & alia sympthomata, aluum comprimere cũ intrinsecis, tum extrinsecis medicamen dicamẽtis prima statim die, & in hoc casu ita faciendum esse existimamus; ne vna cũ morbo decedat infirmus.

Præterea esse potest, vt iste alui fluxus sit minus longus, peccet temporis longitudine. bonus Medicus debet talem alui fluxum comprimere, alioqui liquefit corpus omne in malã consuetudinem inducitur, & in atrophiã incidit, & in marasmum facile labitur.

Hoc autem videtur dicere Gal. 6. epid. comm. 2. tex. 9. supra citato, loquens de euacuatione. Quemadmodum (inquit) si immodica sit, ipsũ medicum aliquid facere necesse est, nonnunquam euacuationis copiam supprimentem.

Et Hipp. secundo prædicti parum

post princ. pa. 552 Si vero insuper (inquit) febrierint homines, aut alui profluuia redierint, si lõga fuerint, penitus mala sunt, siue biliosa fuerint, siue pituitosa, siue cruda.

Celsus etiã lib. 4. c. 19. de alui fluxu agens; At spatium periculosum est.

Philumenus de alui fluxu vtili in febribus loquens, hæc scripsit.

Quare in principio ea, quæ in corporis cõmoditatem vtiliter excernuntur, minime inhibere oportet. Postquã vero iam diutius perseuerauerint fluxiones, non solum superflua euacuãtes, verum habitũ veluti colliquantes, viresq. consumentes, tunc sane eis resistere oportet, tum per ea, quę per os sumuntur, tum quæ per anum infunduntur, atque ea; quæ forinsecus imponuntur.

Vide quot, & quanta requirantur, vt Gal. dictum verificetur. Quare nil

teme-

temere affirmandum, nil negligendũ, dicebat Hipp. 6 epid. sect. 2.

Si igitur ita Gal. verba sunt intelligenda, vt vere intelligi debẽt, alioqui, & sibi ipsi Hippocrati experientiæ, & rationi contradiceret Gale. responsio mea adhuc stat in suo robore.

Et si Gal. dicta dysenteriæ applicabimus, ipsa respõsio magis confirmatur: quamuis locus iste non multum conueniat dysenteriç. Galen. loquitur de alui fluxu in febribus: dysenteria aliquando est sine febre. Et hæc satis de Gal. loci interpretatione.

Modo accedamus ad probandam nostram responsionem. Quod scilicet secundũ varios casus, & reliqua possimus nos dysenterico. & sanguinem mittere, & purgatorium pharmacum exhibere.

Et primo sciẽdum est, loqui nos de dysẽteria illa, quæ est exulceratio intesti-

testinorũ, quæ fit ab humoribus acribus, salsis, erodentibus, & exedẽtibus, à natura per infernã aluum præcipitatis; & ita corraduntur, vlcerãtur, & exeduntur intestina. De qua Hippo. 7. aphorismor. 75. inquit. Ab alui fluxu dysenteria.

Cum ergo dysenteria sit vlcus intestinorum, factum ab alui fluxu. persistente humorum prauorum exitu, illud vlcus, vel vlcera curari non possunt, nisi prius humorum fluxus sistatur, & non solum curari non possunt, verum quo vlterins humorum exitus protrahetur, eo cauiora, maiora, seuiora, maligniora, & curatu difficiliora fiunt: atqui humorũ exitus fieri non potest, vt sistatur, quin aliquod magnum malum superueniat ægrotantium, vt perbelle animaduertit Hippoc. lib. de coacis prænot. multum post medium pag. 581. his verbis.

Dy-

Dyseteria intempestiue suppressa, abscessum in costis, aut visceribus, aut in articulis facit.

Et lib. de victu acutorum versus finem pag. 506.

Dysenteria sedata (intẽpestiue credo) abscessum, aut tumorem aliquem faciet, si non ad febres, aut sudores, & vrinas crassas, & albas, & valde perspicuas, aut ad tertianas, aut ad varicem aut ad testem, aut ad crura, aut ad coxam dolor decubuerit.

Gal. lib. de venæ sect. aduersus Erasistratum cap. 6. in fine hæc scripsit.

Item quod non semper horũ vnumquodque si existat prohibendum est, sed quod quãdoque coadiuuandum, vel natura quiescente (quando si confert) ei totum committendum. adeo ignorant illi, qui dysenteriã, varicesq; & hemorroides immature præpopereq; medicari discunt, vt & ea moliantur,

tur, quæ facere nequaquam debeant. Porro ego quoq. vidi non paucos, ob huiusmodi euacuationes, quæ medicorum imperitia cohibitæ fuerāt, aut atrabile, aut insania vexatos, quorum aliqui quoque tum inestimabili inflāmatione, tum rhenali dolore, correpti sunt: nonnulli vero ex aluo sāguinem vomebant, aut eundem tussiendo ex thorace spuebāt, aut attonito morbo, aquoue intercutanea interibantur.

Vt igitur hæc euitemus oriūda mala, & vlcera curare possimus, quam citissime euacuandi sunt à medico humores peccantes per exhibitionē medicamentorum purgantium, si natura non sit adeo valida, vt medicus intra paucos dies vel horas, euacuationis humorum peccantium absolutionem non speret: vt per loca supra allegata patet. Et vacuandi sunt per eandem viam idest per infernam aluū, vt Hipp.

docet

docet 1.aphor. 21.quoniã cum aphor. 20. præcipiſſet Hipp. quod quæ ſpõte integre iudicantur, aut iudicata ſunt, nihil faciendum,ſed ſinere.In 21.aph. quaſi interrogationi occurrẽs, inquit. Quod ſi natura non integre mouit,neqne integre mouet, ideſt dum natura mouet,& ſperatur,ipsã nõ integre criſim abſoluturum, quia aut tarda, aut ſegnis, aut debilis eſt, debet medicus, quæ oportet ducere,quo natura ducebat,aut ducit, eo ducere,dũmodo loca conferentia,& conuenientia ſint.

Lib. de humor. eiſdẽ vtitur verbis.

Gal.lib.de venæ ſect.aduerſus Eraſiſtrat.cap.4. eoſdem aphoriſmos adducens, hæc ſcribit.

Si enim in his exercitatus fuiſſes,talia te conſulentem audirem, qualia apud Hipp.inaudio. Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integre,neque nouare ſiue medicamentis,ſiue alijs irritationibus,

nibus, sed sinere. Istud quidem habes propriũ naturę integre mouentis pręceptum, quod vero huic succedit, naturæ, & ipsum, verum diminutæ ad iuditium mouenti congruit, eamq; ob rẽ illi auxilio esse iubens, dicit. Quæ ducere oportet, hæc quo maxime natura vergit, per loca conferentia ducenda. Natura si quidẽ tum temporis expellere conatur id, quod eam infestat: cum autem præ imbecillitate finem operi imponere non possit, nostra auxilia implorat.

Multis etiam alijs in locis idem testatur Gal. vt fluxum fluxu, & dolorẽ dolore, & vomitum vomitu liceat curare. vt Hipp. docet lib. de locis in homine versus finem. pag. 101. istis verbis sequentis.

Nam si quis homini vomenti aquã multam bibendam dare velit, eluetur ea, propter quæ vomit, vna cum vomitu,

mitu: & sic quidem per vomitum vomitus sedatur.

Lib. de humor. in princip. pag. 167: Qua maxime repit. & infra eadē pag. Quæ per aluum egeruntur, qua repūt

Et pag. 168. Quod similia sunt inter se omnia, quæ iudicāt, & quę prosunt, & quæ nocent, & quæ perimunt, quo hæc quidem fugiens auertat, illa vero accersat, & ducat, ac suscipiat.

Sexto epid. sect. 2. pag. 456. Operari simile, velut dolor dolorem sedat. Et infra. Si vero qua oportet, his oscula aperire oportet, qualiter singula repūt

Et cum hoc sit luce meridiana clarius, aliorum testimonia nō adducam, sed hæc sufficiat.

Profecto si id vomitu commode, & trito fieri posset, optimum esset: quoniam vnâ humorē causam dysenteriæ euacuaremus, reuelleremus, & aluum sisteremus, & intestinorum vlcera nō

am-

amplius cauarentur ab humoribus e-xeuntibus Nam Hipp. 2. de dieta versus fin pag. 145. inquit. Ventrem autem compactum vomitus soluit, & egerentem, magis quam oportet, sistit, illud quidem humectans, hunc vero siccans.

Atqui vomitu vti non datur, tum quia humor exulceraret vētriculum, exophagum, fauces, os, & aliæ partes: vt in vomitu spōte facto hic Præneste in dysēteria superioribus annis obseruauimus, & ob alias causas, quas breuitatis causa non recēsemus. igitur ad medicamenta per aluū ducentia confugiendum omnino est.

Quod aliquādo venam tundere sit necessarium, non adducam alia, quam quæ Alexander Tralli, & Aetius posteritati scripta relinquerunt. Alexander libro 8. capite 7. de dysenteria loquens, inquit.

Si enim propter copiã tale euenerit tũc & sanguinis missionem adhibere, non est alienum interdum etiam purgationem, ac sanguinis quidẽ vacuatio paulatim administretur; & id, quod euacuari debet, neq. vniuersum, ac copiosum educatur, vt ne ægri vires imbecilliores reddantur. similiter etiam purgationem vniuersam, sed & ipsam per vicem tentabimus.

Aetius lib. 9. cap. 45. de eadem dysenteria loquens hæc prodit.

Si vero sanguinis impetus vehemẽter vrgeat, quemadmodũ etiam si maxima inflammatio subest, presertim in his, qui plurimo sanguine abundant; vena incidenda, si vires non resistant, & maxime in quibus consueta sanguinis excretio cohibetur. Auferre autẽ oportet neq; multum, neq; coaceruatum: ab vtroq; enim venter conturbatur.

Ratio etiam hoc dictat; vt si alicui dysenteria accedat, cui sanguinis aliqua euacuatio consueta cessauerit, aut per nares, aut per hemorrhoides, aut per varices, aut per menses, aut per anum, aut facies sit plena, rubra, venæ tumidę, aut febris valida, aut dolor magnus præmat; quis est adeo demens, vt sanguinem mittendum esse, non cō consulat quam primum, consentientibus alijs?

Postremo adde, quę Altomarus capite de disenteria, & de alui fluxu scripsit: quoniam vltimo loco ipsum relegi, si primum ipsum relegissem, vtique solum ipsum, & ea, quæ enarrat, tibi significassem; & non adeo laborassem, in horum summorum virorum locis inueniendis.

Sed enim stultas opiniones admodum ser vtari, stultum fortasse est, dicebat Arist. 3. de partibus cap. 3. Quæ enim

enim prorius sunt absurda, & stolida contemni potius, quam conuinci scriptis præsertim debent 1° de fracturis tex. 9. dicebat Gal. & Diogines cinicus ne tentabat quidem, huiusmodi diluere sophismata, quæ aduersantur, his, quæ euidentia sunt: & nihil aliud aiebat his, qui motum negabant, quã, Miror equidem, si non sit motus, nautæ quotidie clamant, ad Rhodum, ad Gnidum, ad Cò. Quare finem scribẽdi faciam. Vale. & in congressu, tibi tã quam filio te esse consulo modestioré. Hoc vnum scio, me nihil scire, dicebat sapientissimus omnium mortalium, ab Apollinis oraculo iudicatus, Socrates.

SIT DEO LAVS ET GLORIA
si qua subest.

APHORISMVS EST, 43. quartæ sectionis.



Ebres quæcunque non intermittentes per tertiam fortiores fiunt, magis periculosæ.

Adeo difficile mihi videtur, verum sensum, & intellectum huius aphorismi posse consequi, vt pene impossibile videatur. Nam si Galeni expositioně sequamur: Hipp. scilicet dicere, quod febres, quæ per tertiam accenduntur, si quouis modo quieuerint. idest inter miserint, esse absque periculo; quoniã solæ illę, quæ in quietem febre vacantem desinunt, periculo carēt; etiam si vehementem & satis longam habuerint accessionem: vt quę non ex inflãmatione aliqua, neq. ex maligna humorũ putredine occasionem habeãt.

Hæc

Hæc eſt Gal. aphoriſmi interpretatio, breuibus & fideliter recenſita, quā ſi ſequamur, multa habebimus in cōtrarium.

Et primo non videtur vera, quoniā Galenus ſibi ipſi. Hippocrati, rationi, & experientiæ contradicit.

Hippocrati, qui libro acutorum verſus finē pag. 504. de febre hyemali loquens, hæc ſcripſit verba.

Si vero in febre hyberna lingua aſpera fiat, & animi deliquia adſint, tali remiſſio febris contingere ſolet: attamen fame talem macerare oportet, & aquæ, & aquæ mulſæ potu, ac pthiſanæ ſucco conſeruare. ita vt fidē non habens febrium remiſſioni. Nam qui talia ſigna habet de vita periclitatur. Vbi vero cognoueris, ac probe contēplatus fueris, ita fore prædicere potes, ſi placuerit.

Quomodo ergo verū eſt, quod fe-

bris intermittens periculo vacet, etiã si vehementissimam, & satis longã habeat accessionem; si Hipp. in febre intermittente hyemali, si adsit linguę asperitas, & animi deliquium, ęgros, affirmat, periclitari; & medicũ animaduertit, si sibi placet, mortem prædicere posse?

Sibi ipsi, qui quarto acutorum tex. 61. exponens Hippo. verba enarrata, hæc scripsit.

Si ergo in huiusmõdi febre (scilicet hyemali) lingua aspera fuerit, atq. animę defectus eam periculosam esse, est fatendum. atque ob eam rem febrium quieti fidendum non est, si cum prauis fiant, tum symphtomatis, tũ signis veluti in præsentiarum cũ animæ defectu, & linguæ asperitate.

Hęc sententia omnino contradicit illis verbis, in aphorismi expositione enarratis, quia hoc loco dicit, si cum

prauis

prauis symptomatis, & signis sit febris intermittens, est periculosa, in aphorismi autem cōmento, dicit, quod si febris intermittat, etiam si longam, & vehementissimam habuerit accessionem, caret periculo.

Praeterea sequentes Galeni expositionem, si ponderemus illud aduerbiū magis, nihil aliud dicit Hipp. quā quod febres continuæ sunt magis periculosæ intermittentibus. Ergo non potest dici, febres intermittētes esse sine periculo, sed minus periculosę continuis febribus. Sequitur omnino, vt intermittētes nō sint sine periculo mortis.

Rationi, quia etiam si febris intermittat, & multum affligat ægrum prauis sympthomatibus, vt cordis dolore, vehementi rigore, animi defectu, aut alijs quibusdam; possunt vsq. adeo proijci vires, easq. labefactari, vt morbo succumbant, quam citissime. Ex-

perientiæ, vt vnicuiq; medico, qui diu artem exercuit, contingere potuit, vt mihi, qui quatuor vel quinque à febre intermittente interemptos vidi, & vltimus fuit amicus meus optimus, & Medicus Excellentiss. Petrus Mancinus, qui Romæ per multos annos artē præclare medicā exercuit, qui ex simplici tertiana notha intermittente secunda accessione è vita decessit. Et tādem dum hæc scriberem D. Bernardinus Pucius Prænestinus ex simplici quartana intermittēte cuius accessio paucis durabat horis, die 4. Martij 1599. obijt.

Quis sensum negabit, nisi demens? qui negat sensum indiget pena sensus dicit Arist. & Hipp. lib. de decenti ornatu medici pagina 24.

Quicquid enim (inquit) artificiose factum est, ex ratione prolatum est, ac productum, quicquid autem artificiose

ciose dictum est non autem factum, methodi inartificialis demonstratiuũ existit. Nam putare quidem, nõ autẽ facere, ignorantiæ, & inartificialitatis signum est. Opinio enim maxime in medicina in crimen vertitur eam adhibentibus, his vero, qui ea in se vsi sunt, periculum affert.

Et Gal. 6. epid. com. 8. tex. 19. hæc concinit. At si quispiam alius Tessalo posterior librum hunc schipsit, male & ipse fecit, vt enim sæpe iter auimus, experientia rerum apparentium iudex est, non ratio, quam sibi vnusquisque comentatus fuerit.

Est ergo his, quæ fiunt standum in omnibus, & præsertim in medicina, alioqui errata multa contingunt, illaque grauia.

Si hæc vera sunt, vt meo iuditio verissima. Gal. expositio stare non posse videtur: neque per consequens apho.

conuenire. Aliquid ergo est commentandum, vt Hippocr. sententia stare possit.

Hic apho. lib. de coacis pręnot. parum post principium pag. 566 in hũc modum legitur. Febres continuæ per tertiam diem augescentes periculosę. Quibus febris aliquando intermittit, periculo vacat.

Et 7. apho. 62. febres non intermittentes, si per tertiam fortiores fiãt, periculosæ sunt. quocunque vero modo intermiserint, sine periculo esse significant.

In hic locis hoc modo legitur. tamẽ sequemur lectionem aphor. qui est in quarta particula, nũ. 43. quæ talis est.

Febres quæcunque non intermittentes, per tertiam fortiores fiunt. magis periculosæ, Quocunq. vero modo intermiserint, quod sine periculo sint, significant.

Huius

Huius sententiæ plures esse possunt sensus & primo talis commentatio videtur ei conuenire.

Omnes febres cõtinuæ,quæ de tertio in tertium exacerbantur,sunt magis periculosæ, quã si essent intermittentes. Hoc est, Omnes febres tertianæ continuæ sunt magis periculosæ, quam febres tertianæ intermittentes: quoniam quocunque modo tertianæ intermittunt, siue per pauca, siue per multa interualla,significãt, quod sunt tutiores ipsis tertianis continuis. fuit hæc Dioclis sentẽtia. Aut(quod mihi non placet ratione illius aduerbij magis)significant,quod sunt tutæ, idest, sine periculo.

Secundus sensus esse potest,omnes febres continuæ,quæ de tertio in tertium exacerbantur, sunt magis periculosæ,quã illæ febres continuæ,quæ alijs diebus exacerbantur. idest, sunt

magis

magis periculosæ, quam quotidiana, quæ quotidie exarcebatur, & quam quartana, quæ de quarto in quartum, & quam aliæ febres, (si dantur) quę alijs diebus exacerbantur.

Secunda aphorismi pars sonat: Et istæ febres continuæ, quocunque die moueantur, siue quotidie, siue de tertio in tertium, siue de quarto in quartum, siue alijs diebus: quocunque modo intermiserint, siue per multas, siue per paucas horas significant, quod sũt sine periculo. Vt secunda pars aphoris. de omni febre continua loquatur & postea illa met febris intermittat.

Hæ duæ cõmentationes, quamuis stare posse, videantur, nobis non arrident, quare tertium intellectum commentati sumus facillimum, & planissimũ, qui nobis summopere placet: quia aphor. cõuenit, caret omni difficultate, & est in praxi vtilis, qui talis est.

Omnes

• Omnes febres bilioſæ continuæ, quæ de tertio in tertium maiores, fortiores, validiores, & vehementiores fiunt, & magis affligunt ægrotantes, id eſt quod ſingulis tertijs diebus exacerbatio ſit maior quam proxime præterita, vt ſingulis exacerbationibus increſcat febris, ſunt magis periculoſæ, quam ſi non fierent ita fortiores, maiores, validiores, & vehemētiores ſingulis quoque tertijs diebus: ita vt comparet has bilioſas febres continuas, quæ de tertio in tertiū, maiores, fortiores, validiores, & vehementiores fiunt, ad eaſdem febres bilioſas continuas, quæ de tertio in tertium exacerbantur, ſed nō ſunt fortiores, validiores, maiores, & vehementiores tertio quoque die, cum exacerbantur, neq. adeo affligūt ægrotantes tertijs quiſque diebus, & dicat omnes iſtas febres eſſe periculoſas: tam quæ fortiores, validiores, mo-

leſtio-

lestiores & vehementiores de tertio in tertium fiunt, quam quæ non ita valide, & vehementer mouentur, & augẽtur licet de tertio in tertiũ exacerbentur: ita vt de tertianis continuis sẽper loquatur, quæ de tertio in tertium mouentur. sed periculosiores sunt illæ febres, quæ de tertio in tertium fortiores, maiores, molestiores, & vehementiores fiunt.

Rationem autẽ esse existimo, quia hoc est signum, aut quia in peius labitur morbus, aut quia augetur, & adeo augeri potest, vt facile ægrotantis vires deijciat, & morbo succũbant vires.

Secundam aphorismi partẽ. Quocunque autem modo &c. ita intelligendam esse existimamus, scilicet.

Cum dixisset Hippocrates istas febres, quæ de tertio in tertiũ fortiores, validiores, & vehementiores fiunt. esse magis periculosas illis, quæ non ita

valide mouentur,& dixerit ambas esse periculosas (vt diximus) docet modo signũ, quo cognoscamus, quomodo ambo istæ febres, tam periculosiores, quam minus periculosæ erunt tutæ, & non est dubium aliquod, quod ægrotantes interimant, & ita subdit.

Quocunque autem modo ambæ istæ febres iam dictæ, scilicet, & quę de tertio in tertium fortiores, validiores, & vehemẽtiores fiunt, & quæ nõ adeo valide mouentur, sed mitius exacerbantur, intermittant, siue per multũ, siue per paucum tempus perduret accessio, dummodo intermittant, signũ est, quod sũt tutæ, idest, sine periculo.

Possumus etiam hanc secundam aphorismi partem solum de eisdem febribus illis, quæ de tertio in tertiũ fortiores, & vehementiores fiunt, intelligere & planior erit sensus, & cum dixit, illas esse alijs periculosiores, quasi

ſi tacita interrogationi reſpondent, quando erant tutæ: & dicant quòd illæ febres periculoſiores cum quocũque modo ſit intermiſerint, ſiue per pauca, ſiue per multa interualla, ſunt in tuto, & ſine periculo. Et hæc interpretatio mihi ſemper magis placuit, licet vterque ſenſus, ideſt de vtriſque febribus ſit veruoſum.

Ratio huius rei eſt, quia illa intermiſſio ſignificat, illas febres eſſe in declinatione. Quemadmodum ſi febres intermittentes fiunt continuæ, eſt ſignum ipſas augeri; ita contra, quando febres ſunt continuę, poſtea intermittunt, ſignum certiſſimum eſt, eas eſſe in declinatione, & cum declinent, nullum ſubeſſe periculum teſtantur.

Si hoc modo aphoriſmum intelligemus, non adeſt aliquod in contrarium, quod faceſſet negotium, omnes difficultates ceſſant, & expoſitio

vera

vera est, quem innuit Hippocrates per illud magis, & illud fortiores. Et hæc sint satis.

SIT DEO LAVS ET GLORIA, si qua subest.

AD EXCELLENTISS.

IACOBVM RVBEVM



EBREM, qua laborabat Illustriss. Domina Artemisia Columna sexto mense vterũ gerens, fuisse continuam, magnam, acutam, pestilentem, quotidie exacerbantem, alternis magis diebus affligẽtem, more duarum tertianarũ, ex miscela pituitæ & flauæ bilis, prædominante flaua bile: & fuisse illarũ, de quibus Galenus agit secundo de differẽtijs febrium cap. 2. cum dicit. Namq; & in die intermedia faciunt accessio-

 nem

nem continuæ &c.nõnullę vero duas dissimiles habentes, primæ quidẽ tertiam omnino simillimam obtinent, secundæ autem quartam, in figura duarum tertianarum progredientes. hæc Galenus. Eamq. febrem genitã fuisse ex delictis in victus ratione, & presertim ab aere, qui eo in loco non est salubris: iam satis inter nos, & postea vna cum alijs duobus Excellentissimis Medicis conclusum fuisse, clarum est. Neq. id absque ratione, constabant enim hæc ex suis signis & sympthematis. nam febris licet quoquo modo remitteretur, singulis diebus exacerbabatur, tertio quoque die magis affligebat, vt plurimum cũ frigore extremorum, & videbatur aliquo modo horrere. Aderant capitis, & lumborũ dolor respirandi difficultas, grauitas totius corporis, suspiria, inquietudo, iactatio, modo huc, modo illuc, stare multum

loco

loco non pote at, sitis vehemens. linguę nigredo, vigiliæ, pulsus frequens, celer, inæqualis, vrinæ crassæ, turbidæ, croceæ. nigræ interdum, aderant papulæ per totum, in somnis aliquando delirabat, ex his bene præsagitum fuit à nobis à principio, Illustriss. Dominam in maximo vitæ discrimine versari, & potius mortem, quam sanitatem secuturam. Atqui dictum fuit etiam ex secundo. aph. 19. Acutorum morborum non omnino tutas esse prædictiones, neq; salutis, neq; mortis. Quod etiam Celsus lib. 3. cap. 6. & Aetius lib. 1. cap. 56. cōfirmāt: idemq. cum duobus alijs Excellentiss. Medicis determinatū fuit. Et cum à principio satis plenum corpus videretur, & ante morbū Illustriss. Domina scatuisset vlcusculis per totum corpus, quæ illucusque aliquo modo permanebant, soboles prauorum hu-

morum, morbus esset magnus pluribus de causis, ægra iuuenis, & vires validæ, bene actum fuit. Excellentiam tuam, vt vocata fuit, sanguinē misisse, iuxta Hipp. sententiā lib. de victus ratione in morbis acutis parū post med. pag. 500. Verum in acutis morbis (inquit) venam secabis, si vehemens appareat morbus, & qui ipsum habeant, in vigore ætatis fuerint, & robur ipsis adfuerit.

Et 2. aphor. 29. Incipientibus morbis siquid videtur mouendum moue.

Et secundum Galeni sententiā 11. metho. 14. Quippe si vires eius, qui ex putredine humorum (vt prędiximus) febricitat, valentes sunt, mittendus statim sanguis est. & cap. 15. Saluberrimū autem (vt prædiximus) est, in febribus venā incidere, non continentibus modo, verum etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat: vbi præ-

ſertim nec ætas, nec vires prohibent.

Et præſertim cum partita fuerit sã-guinis miſſio, in quantitate, latere, & vena conuenienti. quæ phlebotomia tutius,& ſecurius quam medicamentũ adminiſtrari poteſt; vt teſtatur Galen.lib.de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 12.

Et quoniam adhuc morbus contumax, & perſeuerans erat, ego fui vocatus,& iſtis omnibus bene perſpectis fuit inter nos conſultum,quid inſtitui poſſit vt Illuſtr. Dominæ opis aliquid afferre poſſet; elegimus & inſtituimus pharmacum purgatoriũ ex debilibus & imbecillibus,vt eſt rhabarbar.diaca tol.ſy.ros.& decoc.cord.cũ tamarind. Sumpſitque ipſum quarta die Hipp.imitati, lib. de ratione vic. in morb.acutis verſus finem pag. 498.duxit placide ſine aliqua moleſtia,& viſum fuit contuliſſe, cũ rhenum dolor magnus

ſedatus fuerit, capitis remiſſus, ita & totius corporis grauitas.

Conſultum poſtea fuit cũ alijs duobus Excellentiſs. Medicis de agendis in poſterũ, & ea fuere inſtituta, & confirmata, quę prius etiam fuerant exhibita, & applicata: nempe iuſcula alterata cum his, quæ febri, eius malignitati, & corruptioni humorum obſtarent, cum ſerapio acredinis citri, & alijs, cordis fotus, rhenũ, & ſuminis inũtiones, terram lemniam, bolum armenum, lapidem bezoar, quæ apud Illuſtriſs. Maritum optima erant, conſeruas, pulueres, & alia beza artica, quæ fœtui obeſſe non poterant: vt nihil videretur deficere in huius febris curatione, fuit tamen diſſentio de mitridatica confectione, in cuius exhibitione nolui aſſentiri, quoniam poterat cauſare abortum, vt verum eſt: & ſi ipſam ſumpſiſſet laborans, vtique ſum huius

ſen-

sententiæ, quod intra paucas horas fuisset sequutus abortus; causas pro nunc omitto. Volebat etiam Ex. Medicus vti masticatorijs, quę in illo morbi tempore non conueniebāt dictum fuit, si opus fuisset in occasione instituisse mus. oportet enim hæc non temere instituere, sed bene repurgato corpore toto, postea ad hæc particularia descendere; vt Gal. docet 3. de locis affectis cap. 3. & alijs etiam in locis, & Hip. etiam videtur dicere. Hoc etiam ratio dictat, & experientia comprobatur, neq. aderat causa, aut necessitas talia instituendi, quia solum excreabat, & expuebat aliquando, vt in multis cōtingit ex vaporibus ad caput elatis. His omnibus ex arte institutis, adhibitis, & prosecutis vsq. in nonam diem, in cuius principio, incipiēte exacerbatione febris ægra Illustrissima abortiuit. Neque id mirum, cum 5. apho-

phorismorum 55 id prædixerit Hipp. illis verbis. Quæ in vtero habentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiút sine manifesta occasione, difficulter pariunt, & periculose, aut abortum facientes, periclitantur. Et etiam eius ægrotis sæpius contigerit vt 1. epide. constitutione temporis tertia inquit. Quibus autem prægnantibus contigit ægrotare, omnes fætus perdiderunt, quas ego noui.

Quarto eiusdẽ voluminis lib. longe à principio pag. 437. Tenedia 4. die abortiuit, pag. 438. Apemanti fratris vxor 7. die abortiuit femellam velut dixit sexaginta dierum; & alibi multoties. Hoc autem à vi morbi, & fortasse ab anni tẽporũ cõstitutione factũ est.

Et eadẽ exacerbatione & die mortua est laborans, & à vi morbi, & ab abortu: a vi morbi, vt Hippo. testatur 5. apho. 30. Mulierem vterum gerentẽ,

ab

ab aliquo acuto morbo corripi, læthale est ab abortu, vt aphor. 55. quintæ particulæ supra citato prædicit Hip. Aut abortum facientes periclitantur. Et lib. 1. de morb. muliebribus multũ post medium, pag. 337. Et quæ corruperunt, magis periclitantur. Corruptiones enim grauiores sunt, quã partus; non enim fieri potest, vt citra violentiam fætus corrumpatur, (subdit) In huius modi enim periculum est, ne vteri exulcerentur, aut inflammentur, Hoc autem est periculosum. & alibi multoties.

His firmissime stantibus, & verissimis: quis medicorum dicere potuit Illustriss. & Excellentiss. D. Martio Columnæ, nos interfecisse Illustrissimam D. Artemisiam, & esse ægrotantiũ necatores, nisi fuerit aut indoctus, aut suapte natura contentiosus, aut maledicus? Si hoc dixit, quia missus est san-

guis, legat Celsum lib. 2. ca. 10. de sanguinis missione loquentem, & hęc inueniet. At firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens tuto curantur, & alia multa inueniet, quę nostræ opinioni, & gestis fauēt. & hoc remedium passim à medicis administratur, hocq; à ratione docemur, & à Gal. 16. meth. 10. Quanto, itaque (inquit) satius est, aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire, &c. Fuit etiam Thucididis consilium. Agentes aliquid, aut periclitari.

Contra obijcet aduersarius Galen. 11. meth. cap. 9. In quo omnino desperata salus est, imprudentis consilij fuerit, ea infamare præsidia, quæ multis fuere saluti. & Hipp. lib. de arte: Medicina est, morbos ab ægris in totū tollere, morborum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à morbis vi-

ctis sunt, curationem nõ aggredi, cum in confesso sit, quod tales medicina sanare non possit.

Soluuntur hæc ex dictis quam facillime, cum acutorum morborum nõ omnino sint certæ prænuntiationes salutis aut mortis fecimus nos, quæ Hippo. facienda præcepit lib. de sterilibus pag. 390. & lib. 1. de morbis muliebribus p. 332. de cura molę loquẽs: Hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione: satis est nos præsagisse; egimus, vt laboranti, marito, & alijs satisfaceremus; vt omnes etiam medici faciunt; & quia non erat omnino desperata salus, vidimus aliquoties, eos euasisse laborantes, qui omnino erant deserti à medicis.

Neq. putamus nos Hippo. aphor. contradicere 5. apho. 31. Quid si dicamus Hippo. non prohibere omnibus prægnãtibus sanguinis missionem facien-

ciendam, sed tantum his, quibus prægnantibus alias missus est sanguis, & inde secutus est abortus. vt apho. sensus sit; si mulieri vterum gerenti alias missus est sãguis, & inde ipsa abortiuit si rursus ægrotet prægnans, ei sanguinem mittere, non audeas, quia iterũ ipsa abortiet: & eo magis abortum faciet, quanto fœtus fuerit maior, quam cum alias abortiuit. Et hęc videtur verior expositio, vt etiam in praxi obseruari potest, & vera est sententia apho. Et si eo modo intelligatur, vt ab omnibus intelligitur, vt plurimum fallit, & à medicis non obseruatur. Et ab omnibus pro falsa reputatur.

Si dixerit propter purgationem, animaduertat, se Hippo. 4. aph. 1. veritati, & Gal. contradicere, & licet materia non turgeret, tamẽ optime factũ est, vt doctissimus Manardus lib. 13. epistola prima docet; & alij multi hãç

quę-

quæstionem exagitantes affirmant.


Si dicat, nos fuisse in causa, vt tertiana simplex fuerit facta cõtinua, hoc falsum est, quoniam semper ego tetigi eam febrientẽ, & quotidie Illustriss. Marito referente, febris exacerbabatur. Et dato, quod nobis curantibus, fuisset facta ex simplici duplex, aut cõtinua, ergo nos fuimus in causa, vt duplex, aut continua fuerit facta febris illa, absit id affirmare. Si hoc dicit, paucos ægrotantes se curasse ostendit; & quoties quarta, sexta, vel octaua die fit hic transitus, vt ex simplici fiat duplex aut continua Medico nihil peccante, hoc autem vnicuiq. medico, in curando experto, sæpius contigisse certus sum. Quare omnino desiderarem causã audire, vt si errauimus, corrigamur, quod vnusquisq. probus vir facere debet. & si ego errorẽ aliquem in ea curanda, à nobis commissum, cognoscerem,

rem, vtique id faterer, & dicerem cum Hippo. in epist. ad Democr. Ego sane mihi videor, maiorem reprehensionem, quam honorem artis me assecutum esse.

Hæc sunt Iacobe optime, quæ mihi visa sunt scribere in hac re, & si vir ille, qui ausus est hæc Illustriss. & Excellent. D. dicere, vult contra nos sua maledicentia insistere, nihil aliud obijciam, quam quę Socrates dixit de eo male loquentibus. Male loquuntur, quia bene loqui nesciunt.

SIT DEO LAVS ET GLORIA si qua subest.

AN MITRIDATIVM SIT exhibendum prægnantibus maligna febre laborantibus?



Idetur dubium apud nonnullos, imo pro certo tenent, mitridatium vteru̅ gerentibus, febre maligna

ligna laborantibus non posse exhibitū facere abortum, nullā aliam rationem sequentes, quam quod aliquādo in eo casu exhibuerunt aliqui, & non est sequutus abortus.

Hoc dato, meo iuditio, non cōcludunt quod volunt. vt hoc etiā non concludit. Ego exhibeo optima medicamenta, vt ciam menses, & non ciūtur, ergo illa medicamenta nō possunt ciere menses. Antecedens verum est, cōsequens vero falsum, quia non semper menses prouocantia menses ducunt. & ad hoc probandum solo Hipp. testimonio vtemur 6. epid. in vltimis verbis de Phœtusa Pythiæ vxore, & de Namisia Gorgippi vxore agentis, quibus suppressi erant menses.

De Phœtusa hæc inquit Hippo. Et quum nos omnia tentassemus, quę ad menses detrahendos conferre, visa essent, non prodierunt; sed mortua est, cum

cum non ita multo tempore postea vixisset.

De Namisia ait. Visum est autem omnibus medicis, in quos sane ego in cidi, vnam spem esse, si menses secundum naturam prodirent. Verũ & huic prolici nõ potuerũt, omnia nobis molientibus, sed paulo postea mortua est.

Et ita falsum est eorum consequẽs, quamuis antecedens sit verum.

Præterea, in omni morborũ genere ea medicamenta exhibentur, quę illũ morbum sanare possunt, & moriũtur multoties ægrotantes, ergo illa medicamenta nõ sunt apta & idonea, vt possint curare illum morbum, ægrum sanitati restituere: negatur consequens, quia falsum est. nam multoties non euadunt ægrotantes, & tamen medicamenta optima sunt: sanitatem autẽ nõ restituunt ob multas causas, quas pro nunc omittimus.

Restat

Restat modo nobis probandum, mitridaticam antidotum posse hoc præstare, scilicet causare abortum. Et vt id breuius & commodius facere possimus, præsupponimus, omnia, menses, aut fætuum immortuum, aut secundas, aut molam prouocantia exhibita, posse facere abortum. Et cum id clarissimum sit, probare nõ expedit. His stantibus, si consideremus ingredientia mitridatium, pauca simplicia inueniemus, quæ suppositorum aliquid efficere nõ possit: reliqua vero omnia mẽses, aut immortuos fætus, aut molam, aut secundas promouere possunt. Ergo a toto composito abortus causari potest.

Si dicant viri isti, quod hæc habent in contrarium illa pauca ingredientia retũdentia aliorum facultates & vires, & ita nõ posse totũ aggregatũ causare abortũ.

Contra hoc nihil aliud dicam, quã, quę optimi autores totius cõpositionis facultates enumerantes, affirmant, qui omnes vnanimiter, in quos sine ego incidi, uolũt

menses inter alia posse prouocare mitridatiũ: vt est Nicolaus in antidotario, lumẽ apotecariorũ Calistanus, Valerius cordus, à quo autem antiquo autore id sumpserint huc usq inuenire non potui. Et si istis credere nolunt, credant Aetio summo uiro, cum eo dicant lib. 13 cap. 100. quod mitridatium exhibitum immortuos fætus expellat.

Præterea si theriaca menses dicere, & mortuos fætus eijcere potest, ut Gal. lib. de theriaca ad Pisonem, & lib. de usu theriacæ ad Pamphilianum affirmat: quare non potest idem efficere mitridatium, cũ 3. epid. com. 2. ægro 11. enumerans causas abortus, Gal. inter eas ponit, si in medicamento sumpto adsit aliquid abortiui? at in mitridatio multa sunt, quæ abortum facere possunt, ut supra diximus.

Et hæc satis sint, turpe est enim, multis agere in aperta, manifestaq. re. Et hæc dicta sunt, ut aliquorũ pertinacia deleatur.

Ad

Ad Excellentissimum
PETRVM MANCINVM.



CVM externis diebus Petre amantissime inciderit inter nos sermo super verba Hippo 7. epid. in calce, & non fuerit constitutũ, quis sit verus eorum sensus visum est mihi, super his hæc pauca ad te scribere, quæ si placent, admittantur, sin autem reijciantur scriptis.

Hipp 7. epid. ferè in vltimis verbis hæc habet. Scortatio turpis dysenteriæ medela est.

Quomodo autem debeat intelligi, dubium est. Et 1. per turpem scortationem quid intelligendum. Secundo quomodo scortatio turpis posit dysenteriæ mederi, commentandum est.

Per turpem scortationem, mihi persuadeo, nihil aliud esse interpretandum

quam immodicum veneris vsum; vt interpres turpi pro immodico vsus sit vocabulo. Verum pro certiori doctrina videdus esset grecus codex, aut aliorum translationes, & licet aliter accipi posit, tamẽ satis mihi satisfacit hæc interpretatio.

Quod autem coitus præsertim immodicus posit dysenteriæ veræ, quæ est exulceratio intestinorum cum ventris fluxu, mederi, hoc opus hic labor est.

Gal. 6. epid. com. 5. tex. 23. super illa verba. Venus a pituita morbis remedio est & super tex. 28. Mistio, quæ in ventre sũt indurat. & Arist. 4. sectione problematũ 18. videntur locum istum commentari, dicentes. Coitũ corpus abunde digerere, et ita exsiccare, et refrigerare: et sic ratione siccitatis, & frigiditatis posse dysenteriæ mederi exiccando & delando ea quæ per intestina deijciuntur.

Possumus etiam dicere nos, coitũ prodesse ratione deriuationis, quoniam coitus per penem euacuando partem mate-

riȩ, quȩ per aluum à naturȩ expellitur, deriuat in penem. Ad hoc videtur alludere Arist. prima particula proble. 51. & particula quarta pro. 17. cum dicit, quod coitus prodest morbis ex pituita, quia multum vacantis materiæ cum semine detrahi potest, cum ambo excrementa sint.

An verò dicere possumus, verba Hipp. esse intelligenda de dysenteria, quæ fit à pituita salsa, acri, aut alia mala qualitate prædita: Iuxta illud Hippo 6 epid sectio. 5. Venus a pituita morbis remedio est. & de hac dysenteria loquatur Hipp. & nō de alia, quæ fit ab alijs causis, vt quinto epid. versus finem pag. 452. & 7. eiusdem volu- minis pag. 481. Timochari cōtingit in destillatione. Et Arist. affirmat prima secti. problemat. 51. & sect. 4. 17. locis supra citatis.

Verum enimuero, possumus nos altetius, & intimius rem istā perscrutari, quoniam scita (vt diximus) Hipp. verba intelligantur, remedium videtur anceps ad sanita-

nitatem, vel perniciem, & pluries oberit quam proderit; quia qui dysenteria detinentur, fiunt debiles, & si venere vtantur præsertim immodica, fient debiliores, resoluentur spiritus, vires, & totum corpus emarcescet in tabē, cū robustissima pars corporis, cum totius corporis conuulsione, & summa voluptate in actu venereo secernatur, vt perbelle Hipp. lib. de genitura in principio, & Gal. 1. de semine 16. enarrant.

Item si hoc remedium instituatur dysenterico, & moriatur æger, medico imputabitur: & clamabunt omnes, medicū interfecisse ægrotum: quia omnes cum ægrotant, coitum refugiunt tanquā nocentissimum, & maxime nocuum. Medicus enim debet euitare calumniam. & ea instituere remedia, quæ tutissima sunt. Exerceto circa morbos duo, vt iuues, aut non noceas, dicit Hip 1. epid sect. 2. His de causis dicere possumus, illas commentationes Hipp. verbis non conuenire, quare alia


lia expositio est inuenienda quę in arte sit vera, prosit, & experientia comprobetur tutissima.

Dicamus ergo, quod cũ dysẽteria neq. simpliciter, neq. vno modo didatur, nõ de dysenteria proprie dicta, quę est exulceratio intestinorum intelligantur verba Hippo. sed de prima tãtum dysenteriæ significatione, in qua sine exulceratione intestinorum uerus sanguis excernitur superfluus, qui abũdat in corpore, uel ratione intermissi exercitij, uel membri abscissi interceptæ sanguinis euacuationis per nares, per uterum, per hemorrhoidas, per uarices, uel aliarum causarum, corpus sanguine replentiũ, ea esse intelligẽda, & nõ aliter. Et ita semper uerũ, & securissimũ erit remedium: quoniam cum uenus immodica summe inaniat, & exiccet corpus tum ratione uacuatonis rei utilis, cum ratione uoluptatis summæ. Et ita in hoc casu instituj debet quã primum: & omnia quæ Asclepiades præcipiebat medico facien-

cienda, efficiemus; nempe tuto, celeriter; & iucunde curabimus; quod medici officium est. Et si hoc iustituatur, non potest medico in crimen & in ignominiam verti; quia semper iuuabit, sine læsione, aut læsionis suspitione aliqua.

Hoc autem experientia me docuit, in discreto iuuene Statio de Statijs meo cōterraneo; qui tali dysenteria diu detentus uxorē duxit, & illa dysenteria sedata fuit intra paucum temporis interuallum. Hoc ergo modo intellecta Hipp. uerba carent omni difficultate, uera sunt, nec aliquid est, quo inficias eas. Vale.

SIT DEO LAVS ET GLORIA si qua subest.





Pag.			Pag.		
11	fuit lege	fuerit	77	fiat	deest
14	Alij	Alijs	78	primam	primum
15	surgere	suggere		& 1.	& primo
17	de genitura pueri	pueri abundat	79	fœtuum	fœtum
	de genitura pueri	de natura pueri		coacta	cocta
19	testat	testatur	80	Alias	Alia
21	membra	membrana		fœtuum	fœtum
	quem	quam		& 1.	& primo
27	fœtos	fœtus	83	potione	portione
	igne	ignem	86	saccare	facere
30	ao	ac		placere	placet
	attrahant	attrahunt		talus	talos
	formani	formari		duplox	duplex
35	partes	abundat	87	bache	bacchæ
36	&	ex		pro	per
38	quantum	quartum		proiectam	proiecta
	vnaquaque	vnaquæq.	88	mulibbri	muliebrib
49	alteru	alterum		mulieribus	muliebrib
54	ad	abundat		galbinam	galbanum
	sextus	sextum	90	bacarum	baccarum
56	voluat	volunt	91	porro& apio	porri & apij
	persuere	perficere	93	innendi	indendi
58	fit	sint		& 1	& primo
61	quæ	quædam	94	suppofito	apponito
63	crenimus	credimus	95	attollito	tollito
	redere	respondere	100	sternutatorion	sternutatorium
65	pondut	pondus		768	364
67	hæc	lac	101	detincto	detineto
68	superstis	superstes		desposueris	dispofuer
70	separatur	speratur	102	directus	directum lectus
72	ponetus	ponemus	110	precipisset	præcepiss
	cum	cuius	111	aeuertere	auertere
73	rorpus	corpus	118	ijgere	rigore
74	prabe	probe	119	minus	nimis
	potea	postea	120	periculosum est	ait adde
75	lambos	lumbos			
76	sucida	succida			
	husiusmod	huiusmodi	122	ægrotantiũ	ægrotant

124 aquoue	aquaue	veruosum	verus
125 absoluturũ	absoluturã	149 posſit	poſſet
126 ſequentis	abundat	153 citr	citra
eluetur	eluentur	157 peceante	adde
127 trito	tuto	160 ægrum	deficit &
133 habens	habeas	161 poſsit	poſsint
138 hic	his	162 viro	adde &
143 dirit	dixerit	dicere	ducere
144 tacta	tacite	165 alterius	vlterius
reſpondent	reſpondens	contingit	contigit
erant	e unt	167 didatur	dicatur
dicant	dicat	ſignicatione	ſignificatione
ſit	abundat	168 iuſtituatur	inſtituatur

Multa etiam errata ſunt in lineis, punctis, diphtongis, & alijs, quæ corrigere, eſt fere impoſſibile.

F I N I S.





REGESTVM

A B C D E F G H I K L.

Omnia sunt folia integra, præter L, quod est dimidium.



FINE

ROMÆ,
apud Lepidum Facium, & Stephanum Paulinum.
SVPERIORVM PERMISSV.